




ACHENWALL, GOTTFRIED  
PÜTTER, JOHANN STEPHAN

**Elementa Iuris Naturae  
Additis Iuris Gentium  
Europaearum Practici Primis  
Lineis**

in usum auditorum adornata

Bibliop. Acad.  
Gottingae  
1753

# books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

## What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

## How to order an EOD eBook?



Wherever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need.

A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

## How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

# Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

## Print

Print out the whole book or only some pages.

## Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.

## Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

# Advanced EOD eBook - How to use

## Search & Find

Print out the whole book or only some pages.



With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. "Habsburg" is being searched for in this example. The finding is highlighted.

## **Copy & Paste Text**



Click on the “Select Tool” in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

## **Copy & Paste Images**



If you want to copy and paste an image, use the “Snapshot Tool” from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

## **Terms and Conditions**

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.

Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html>

Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html>

## **More eBooks**

More eBooks are available at <http://books2ebooks.eu>

I  
A  
255.399

Universitäts - Bibliothek Wien






~~8X~~  
~~G.~~  
~~31. D.~~

Aollig. s.

Z. Püttler J.S. Vervorming  
zur Annahme der von  
meinem Sohn  
Hannam. Göttingen 1750.5

I. Püttler J.S. Vor-  
berichtung zu einer  
collegio Yoraclico  
sevis publici. Göttingen  
1849.8.



34. D  
19. g.


ELEMENTA  
IVRIS NATVRAE  
ADDITIS  
IVRIS GENTIVM  
EVROPAEARVM PRACTICI  
PRIMIS LINEIS,

---

IN VSVM AUDITORVM ADORNATA  
IVNCTO  
IOHANNIS STEPHANI PÜTTERI  
ET  
GOTTFRIEDI ACHENWALLI  
PROFESSORVM GOTTINGENSIVM  
STUDIO

---

EDIT. ALTERA AVCTIOR ET EMEI DATIOR.



GOTTINGAE  
SVMTIBVS BIBLIOPOLII ACADEMICI PRIVILEG.  
cisi cccciii.

I  
Z55399



## LECTOR BENEVOLE;

**P**aucissima sunt, quae te prius quam pagellas hasce ipsas inspicias, monendum existimamus. Nouum iuris naturalis compendium prodire in lucem audet. An in tanto huius gene-

ris scriptorum numero vbiuis ex-  
stante, vt nouum confici non in-  
verecundum videatur, excusa-  
tionibus impetrandum est? Non  
veniam flagitamus: iure consue-  
tudinario satis tuti. Adsuefacti  
iam diu ad haec noua philo-  
phica, ex Academiis tamquam ex  
equo Troiano profilientia, Ger-  
manorum animi. Nouas verita-  
tes te sperare in hoc libello vix ar-  
bitramur; et si tam benignus ac-  
cedas ad illum perlegendum, vt  
quasdam hic inueniri posse credi-  
deris: scias, nihil facile nostro di-

ci aevo, quod dictum prius non fuerit; in compendiis fere nec desiderari. Errores tamen ut euitaremus, operam, quantum licuit, iunximus in delineandis, ponderandis, digerendis thesibus hisce. Neque tamen hoc pacto nos non errasse arroganter iudicamus; sed minus tantum errare voluisse mens fuit. Atque hoc forsitan vnicum est, quod deprehenderis nouum et minus exspectatum in hoc opusculo confiendo, consociatum duorum amicorum coaeuorum studium.

Adeo rarum his maxime temporebus est, in scientiis philosophicis, potissimum iure naturali reperire plures, quam doctorem et auditorem, consentientes. Tuum nunc est, de conatibus nostris iudicare. Iudica, vale, faue. Scribebamus d. 9. April. a. C. N.  
MDCCCL.





## PRAEFATIO

### SECVNDAE EDITIONIS.


Offertur tibi, BENEVOLE LECTOR, opusculum non solummodo recusum, sed reuisum etiam. Mutata in hac editione reperies varia: quaedam magis determinata, alia dilatata, alia coarctata, addita quaedam, quae-

VIII PRAEFATIO SECUND. EDIT.

dam eiecta. Ut quidque aptius ordinari, magis perspicue proponi, firmius demonstrari posse iudicauimus: ita, vt translocando, explicando, corroborando quidque emendaretur, operam nauimus. Additas inuenies iuris gentium Europaearum practici lineas primas: promissi memores soluere pauca; quam differre debiti solutionem omnem maluimus. Scribebamus d. 30.  
Septembr. MDCCCLII.



CON-



# CONSPECTVS LIBELLI.

## PROLEGOMENA de iuris naturalis

1. conceptu §. 1.
2. diuisione §. 15.
3. historia. §. 18.

## PRAECOGNITA de principiis I. N. ex aliis scientiis, potissimum ex philosophia practi- ca generali, praestruendis.

### Cap. I. De natura hominis morali.

#### I. de actionibus hominis

- A. in genere §. 1.
- B. in specie de liberis, quae
  - a. nascuntur ex spontaneitate hominis 26.
  - qua entis intelligentis 30.
- b. extenduntur ad varias mutationum hominis species 33.
- c. diuiduntur
  - A. in commissiuas et omisiuas 44.
  - B. in externe liberas vel non-liberas 46.
- d. coactionem admittunt hypotheticam 50.

C. specialissime de actionibus moralibus  
§4. bonis vel malis 58.

2. de natura hominis morali 61.

3. de statu hominis morali 63.

A. consequenter tali, bono vel malo 64.

B. antecedenter tali, perfecto vel imperfe-  
cto 65. sq.

## *Cap. II. De obligatione et lege morali.*

### 1. De obligatione

A. in genere 78.

B. in specie morali 79. cuius docentur  
a. requisita

A. ex motiuo 82.

B. ex actione libera 83.

C. ex constitutione nexus 85.

b. diuisio in adfirmatiuam et negatiuam  
87.

c. effectus 88.

d. quantitas 91.

### 2. de lege morali, quae

A. est propositio moraliter obligatoria 94.

B. diuiditur in praeceptiuam et prohibi-  
tiuam 97.

C. habet gradus 98.

D. efficit actionem liberam ad eam relatam

a. in genere licitam vel illicitam 100.

b. in specie licitam vel officium vel acti-  
onem indifferentem 101.

**Cap. III.** De imputatione morali. Haec supponit factum. Hinc

1. de facto

A. in genere 105.

B. in specie morali, quod est

a. generatim rectum vel minus rectum  
107.

b. speciatim minus rectum continet de-  
fectum rectitudinis vincibilem vel in-  
vincibilem 110. vnde reatus 112.

C. specialissime de reatu, qui

a. diuiditur in culpam et dolum 115.

b. perpetratur

A. circa legem praeceptiuam defequa-  
voluntatis efficacis 125. et diligen-  
tiae debitae 130.

B. circa legem prohibitiuam negli-  
gentia vel abusu virium 133.

2. de imputatione

A. in genere 137.

B. in specie morali, cuius traduntur

a. diuisiones in plenam et minus plenam,  
et minus plenae in facti et legis im-  
putationem 139.

b. requisita, quae sunt eadem cum syl-  
logismo, quoad

A. materiam seu principia 143.

B. formam seu modum concluden-  
di 148.

c. effe-

c. effectus, attributio praemii vel poena*e* 152.

d. gradus 153.

### *Cap. IV. De obligatione et lege perfecta.*

1. in genere de diuisione obligationis et legis in perfectam et imperfectam 155. sq.
2. in specie de lege perfecta 160. vnde derivatur

#### A. conceptus

- a. iuris seu iurisprudentiae 164.
- b. iusti ac iniusti 165.

#### B. diuisio terminorum correlatorum, vt sunt officium, imputatio, reatus, culpa, dolus. 166. sq.

### *Cap. V. De officiorum discriminine.*

1. in genere de legis naturalis et positivae differentia 169.
2. in specie de legum naturalium principio 178. quod simul est principium iuris divini naturalis 183.
3. specialissime de iuris naturalis humani

#### A. principio 202.

#### B. differentia a reliquis principiis philosophiae practicae 203. sq.

#### C. applicatione in collisione

a. officii perfecti cum officio erga alterum imperfecto 216.

b. officii perfecti cum conseruatione totali 221. vnde nascitur fauor necessitatis 223.

## I V S N A T V R A E

I. *Introductio de iure N. in genere, vbi iuris N. sistitur*

1. definitio 228.
2. principium adaequatum: neminem laede  
240. consequenter
  - A. suum cuique 241.
  - B. ne inferas damnum 242.
  - C. ne sis iniustus 244.
3. Differentia a genere suo proximo philos.  
practica et cospeciebus 247.
4. effectus, 248.
5. ambitus 249.
6. obiecta
  - A. suum 250.
  - B. laefio 253.
  - C. damnum 254.
7. limites 257.
8. finis 258.
9. vniuersalitas 259.
10. immutabilitas 261.
11. diuisio 262.

II. *Tractatio singularum I. N. partium.*LIB. I. Ius mere naturale, s. I. N. in spe-  
cie, vbi consideratur suum ho-  
minis

1. citra respectum ad laesionem s. ante laesi-  
onem.
2. cum respectu laisionis s. laesum.

Primum

Primum caput continet simul modos, tum  
 1. constituerendi, tum  
 2. tollendi suum et eius correlata ius atque  
 obligationem.

Constituitur suum in statu naturali

1. aliud a nativitate s. citra factum hominis,  
 vbi homo consideratur in statu originario,
2. aliud accedente eius facto, vbi homo con-  
 sideratur in statu aduentitio. Vnde

Suum est connatum vel quaesitum, et hinc spe-  
 cies iuris mere N.

1. ius N. absolutum,
2. ius N. hypotheticum.

Ex dictis patet ordinatio capitum iuris mere N.

*Cap. I. Ius N. absolutum. Sui connati*

1. obiectum, vita 266. et actiones iustae 268.
2. iura inde collecta cum obligationibus cor-  
 relatis

A. identitas iurium 272.

B. aequalitas naturalis 274.

C. libertas plena 277.

D. ius circa suum omnes actus suscipien-  
 di 280.

E. ius acquirendi 283.

F. ius alienandi 284.

3. conclusio generalis de statu absolute :  
 quod non tribuat nisi iura negatiua, nec  
 imponat nisi obligationes negatiuas 286.

**Cap. II.** Ius N. hypotheticum. Quidquid adquiritur, est vel

1. res nullius, vel
2. accessorium rei propriae, vel
3. alienum.

Inde nascitur triplex adquirendi modus,

1. Occupatio,
2. Accessio s. adquisitio ex lege,
3. Pactum.

Occupationis fundamentum est ius hominis intuitu rerum,

Accessio nascitur ex dominio,

Pactum praeponit declarationem mentis, ex quasimul colligitur ius circa existimationem.

Inde dispositio titulorum intelligitur.

**Tit. I.** De iure hominis intuitu rerum et de occupatione.

### Occupatio

1. supponit ius hominis intuitu rerum
  - A. iis videnti 290.
  - B. dum vtitur, alios excludendi, et
  - C. talem rem in futuros usus sibi soli adseruandi 293.
2. consistit in apprehensione rei nullius cum animo, eam sibi propriam habendi 298.
3. diuiditur in
  - A. veram, cuius
  - a. requisita 300.
  - b. spe-

- b. species rerum nullius 304.
- c. effectus
- A. possessio 307.
- B. proprietas 309.
- B. interimistica, quae
  - a. nascitur ex iure ignorantiae et erroris 310. sq.
  - b. consistit in iure occupandi rem, de qua signa non existant, eam esse alienam 318.

***Tit. II. De dominio et adquisitione ex lege.***

Dominii

- 1. definitio 325.
- 2. limites 327.
- 3. iura

A. ius utilitates omnes ex re in dominio constituta percipiendi 328.

- a. et quoad substantiam
- b. et quoad accessoria 333. Vnde incidimus in secundum modum adquirendi, qui vocatur

Accessio s. adquisitio ex lege 338.  
quae est vera vel interimistica  
340. sq.

B. ius disponendi in specie 344. dispositio continet actus in rem, quibus salua non manet vel

a. res

- a. res, quo refer abusum, destructio-  
nem, deteriorationem, 345.
- b. vel dominium non saluum manet,  
quod fit
  - A. derelictione,
  - B. alienatione 347.
  - a. plena
  - b. minus plena 348.

### *Tit. III. De declaratione mentis et ex- istimatione.*

- 1. De declaratione mentis in genere 361.
- 2. de eius adlicatione
  - A. ad existimationem 365.
  - B. ad declarationem voluntatis sufficien-  
tem de suo 381.

### *Tit. IV. De pacto.*

Modi alienum adquirendi in statu naturali

- 1. validi, horum non datur nisi vnicus, pa-  
ctum, cuius
  - A. definitio 386.
  - B. requisita
    - a. Consensus reciprocus existens 397.sq.
    - b. obiectum praestandum physice et mo-  
raliter possibile 406. sq.
  - C. effectus 412. sq.
  - D. species 429. sq.
- 2. inualidi
  - A. praescriptio 444.
  - B. successio citra pactum successorium

XVIII CONSPECTVS LIBELLI.

a. ab intestato 450.

b. per testamentum 453.

Addita negotia quae pacto accedere solent,

1. cautio 458.

2. iuramentum 465.

**Tit. V.** De modis ius atque obligatio-  
nem tollendi.

1. Repetendo praemittuntur modi ius atque  
obligationem constituendi 473. sq.

2. Modi tollendi

A. in genere, 478.

B. in specie

a. iura connata et obligationes connat-  
tus 480.

b. iura quaesita et obligationes contractas

A. in genere 482.

B. in specie, iura quaesita

a. in rem 483.

b. in personam 484.

α. casu 485.

β. facto 486.

1. pleiae, solutione 488. et  
pactis contrariis, ut sunt  
mutuus dissensus 489. re-  
missio, 490. compensatio  
491. datio in solutum 492.

2. minus plene 493. dum  
mutatur

A. prae-

- A. praestardum, in nouatione 494.
- B. paciscentes
  - a. debtor in delegatione 496.
  - b. creditor in cessione 497.

*Cap. III. De modo ius suum persequendi.*

Læsionis effectus duplex

I. Facultas cogendi actualis

- A. in genere 499.
- B. in specie ius belli 505.
  - a. *competit* contra quamcumque laesio-  
nem 509. praeteritam, praefentem,  
imminentem 511.
  - b. tendit
    - A. in genere ad se se conseruandum,
    - B. in specie in laesione
      - a. praeterita, ad reparationem da-  
nni dati, ideoque ad restitutio-  
nem vel satisfactionem 515.
      - b. praesenti, ut repellatur 519.
      - c. imminenti, ad periculum auer-  
tendum, et securitatem vindican-  
dam 520. Hinc ius defensionis  
521. et praeventionis 522.
      - d. limitatur 524.
      - e. datur etiam contra auxiliatorem ho-  
stis 526.

C. specialissime, tribuunt laesiones in suo  
ea. connato

A. quoad vitam ius, quod dicitur  
inculpata tutela 533.

B. quoad existimationew bon. simpl.  
ius ad depreciationem cet. 534.

b. quaesito

A. quoad pactum onerosum ius opti-  
onis ad cogendum vel recedendum  
537.

B. quoad quaesitum, ius vindicatio-  
nis 538. quod aliud est

a. contra bonae 540. aliud

b. contra malae fidei possessorem  
541.

## II. Lites

a. quid sint 542.

b. quomodo finiantur

A. lites de suo indubio 543.

B. de suo dubio, quod

a. aut indubium reddi potest pro-  
batione 549.

b. aut nequit, et tunc ut finian-  
tur inter litigantes, requirunt  
mutuum consensum s. pactum  
562. quod sancitur

a. aut interueniente tertio 564.  
mediatore vel arbitro 565.

B. vel placida ratione, quo re-  
fer amicab. compositionem  
571. transactionem 572. vel  
violentia

violentia praevia s. bello  
cum subsequente pacto pacis  
573. sq.

**Lib. II.** ius societatum minorum. Hic  
liber est praeparatorius ad cog-  
noscendam ciuitatem, eaque  
de caussa continet

1. ius sociale in genere,
2. ius societatum simplicium, ex quibus ori-  
tur familia, quae sunt
  - A. societas matrimonialis,
  - B. societas paterna,
  - C. societas herilis,
3. ius familiae.

Quum societas paterna arcto cohaereat nexu  
eum matrimoniali, vtraque eodem capite com-  
prehenditur. Societas dominica tamquam spe-  
cies herilis societatis huic annexitur. Ex qui-  
bus constabit de ordine capitum.

### **Cap. I.** Ius sociale in genere.

#### Societatis

1. definitio 579.
2. finis, per mutuum auxilium 580, obtainen-  
di commune bonum 581.
3. ius 583.
  - A. de iure sociali in genere
    - a. externo 586. eiusque principio ad-  
aequato 587. et consequariis 589. sq.
    - b. interno eiusque princ. adaequ. 595.  
b 3

cohtinet iura et obligationes socio-  
rum erga se inuicem

*a.* vel qua hominum dumtaxat, in  
so iet. precariis 592.

*B.* vel etiam qua sociorum in societ.  
obligatoriis 598.

*B.* de iure sociali interno societatum obli-  
gat riarum in specie, et quidem

*a.* de principio huius iuris adaequato  
599. extra collisionem et in collisio-  
ne 602.

*b.* de legibus ex fine societatis condens-  
dis 604.

*c.* de iuribus et oblig. sociorum

*a.* ante laesionem ex diuersitate so-  
cietatis, quae

† quoad imperium est inaequalis  
vel aequalis 607.

†† quoad modum constituendi est  
vel necessaria vel voluntaria 626.  
sq.

*B.* in laesione 634.

*d.* de modis tollendi societatem 635.

*Cap. II.* De societate matrimoniali et  
paterna.

*A.* de societate matrimoniali. Matrimonii

*a.* defin. 638.

*B.* requisita 640.

*C.* comitantia, sponsalia, nuptiae 642.

*D.* species

*d.* species 644.

*e.* iura et obligationes 645.

**B.** De Societate paterna 648.

*a.* vnde oriatur 649.

*b.* qualis societas 655.

*c.* effectus eius,

*a.* iura et obligationes parentum et  
prolīs mutuae 657.

*B.* iura et obligationes parentum in-  
ter se inuicem 664. et erga tertii-  
um 666.

*d.* modi eam tollendi 668.

**Cap. III.** De societate herili et dominica.

*a.* in genere de herili

*a.* defini. 675.

*B.* iura et obligationes mutuae 676.

*y.* diuisiones 681.

*b.* in specie de societate dominica.

*a.* quid sit 682.

*B.* quae inde iura et oblig. 683.

*y.* quomodo tollatur 684.

*d.* quae ventilantur circa dominicam  
potestatem, decisa,

*1.* ius transferendi operas serui  
685.

*2.* ius in prolem serui tamquam in  
seruum ipsum 686.

*3.* ius vitae et necis, 687.

**Cap. IV.** Ius familiae.

**A.** quid sit 689.

- B. qualis sit societas 692.
- C. quae eius iura et obligationes mutuae,
  - a. quatenus continet imperium 693.
  - b. quatenus continet aequalitatem 696.
- D. quae consectaria ortum debent familiis,
  - a. ius succedendi ab intestato,
  - b. ius testamentorum 697.

*Lib. III. Ius publicum vniuersale.*

Iam ciuitatis ius pertractandum. Primo generalia de ciuitate eiusque iure stabilienda, tum consideranda ciuitas et interne, respectu sociorum ciuitatis, et externe respectu eorum, qui ciuitatis socii non sunt.

Hinc ius ciuitatis est

- I. internum, cuius species praecipua vocatur ius publicum vniuersale,
- II. externum, quo potissimum pertinent iura et obligationes ciuitatis respectu aliarum ciuitatum, id est ius gentium.

*Liber III. in ius publicum vniuersale,*

*Liber IV. in ius gentium inquirit.*

Ius Publ. V. tradit iura et obligationes summi imperantis et subditorum ciuilium mutuas, ideoque id quod suum est summi imperantis resp. subditorum, horumque intuitu illius reciprocum: quod suum cogitatur vel citra respectum ad laesionem, vel sub hoc respectu. Ex consideratione posteriori nascitur caput de modis, ius suum persequendi in ciuitate.

Suum

Suum summi imperantis est imperium ciuile, quod aliud est per se s. absolute consideratum, aliud vero fit hypothetice ex diuersitate legum fundamentalium et formarum ciuitatis.

Ceterum ex limitibus summi imperii simul cognoscitur suum subditorum respectu imperantis ciuilis.

Imperium ciuile extenditur in omnes subditos et societas ciuiles, consequenter et in ecclesiam. Quum circa ecclesiam et principis in eam iura controuerfiae plures reperiantur: separatim ius ecclesiae et publicum praecipue tractandum subiectendumque fuit iuri publico V.

### **Cap. I. ius ciuitatis in genere.**

1. Ciuitatis defin. 698. essentialia 702. attributa 703. sq.
2. Ciuitatis ius
  - A. in genere 707. cum speciebus interni et iuris publici Vniv. 709. externi et iuris gentium 710.
  - B. in specie de iure ciuitatis interno conclusiones, quoad
    - a. pactum subiectionis 713.
    - b. imperium ciuile 714.
    - c. salutem publicam 720.
    - d. subiectionem subditorum respectu et actionum et bonorum suorum 726.

### **Cap. II. de imperio ciuili.**

- I. in genere, imperium ciuile dum exercetur, inuoluit

- A. administrationem reipublicae, 730. quae  
est interna vel externa,
- B. plura iura determinata, quae vocantur  
maiestatica 731. et sunt
- a. transeuntia vel
  - b. immanentia 732.
2. in specie de administr. Reip. interna et iu-  
ribus Mai. immanentibus, quae concipiun-  
tur ex imperio ciuili
- A. in statu Reip. ordinario, imperium ciuile
- a. generatim continet
  - A.** potestatem legislatoriam 733.
  - B.** potestatem exsecutoriam 742.
  - b. speciatim est ius
- A.** in subditos, quod
- a. quoad finem datur in subdito-  
rum
  - I.** actiones, 744. vnde
  - 1. ius munorum ciuilium  
745. et in specie ius offi-  
ciorum publicorum 746.
  - 2. ius dignitatum ciuilium 750
  - II.** bona, 751. vnde
  - 1. ius tributorum 752.
  - 2. ius praemiorum 754.
  - b. quoad medium continet ius sum-  
mae inspectionis 755.
  - B.** ad salutem publicam, 757. con-  
sequenter ad promouendam
  - a. secu-

a. securitatem publicam 758.

I. internam, vnde

1. ius determinandi suum  
subditorum ciuale 760.

2. potestas iudicaria 761.

II. externam, vnde potissimum  
ius militiae et fortalitorum 762

b. sufficientiam, 766. consequenter  
ius promouendi subditorum bona  
anima 767. corporis 769.  
et status externi, vnde plura  
iura specialia et sigillatim ius  
politiae 770.

B. in statu reipublicae extraordinario 771.

a. in genere ius eminens,

b. in specie quoad subditorum

A. actiones, imperium s. potestas  
eminens,

B. bona, dominium eminens.

### *Cap. III. De legibus fundamentalibus et formis Reip.*

A. de legibus fundamentalibus in genere  
773.

a. quoad ipsius imperii determinatio-  
nem 777.

a. per limites naturales tantum 778.

B. per limites arbitrarios 780.

A. dum referuatur in quibusdam  
libertas subditorum naturalis  
781.

B. dum

a. dum adstringitur imperans con-  
fensui populi vel procerum 782.

b. quoad determinationem personae  
imperantis 785.

$\alpha$ . de monarchia, 786.

$\beta$ . de democratia, 814.

$\gamma$ . de aristocracia, 818.

$\delta$ . de mixtis reip. formis, 821.

$\varepsilon$ . de plurium ciuitatum coniunctio-  
nibus, 823.

$\zeta$ . de aemulis regni, 827.

*Cap. IV.* de modis, ius suum perse-  
quendi in ciuitate.

Laedens est

i. subditus, 830. vbi

A. species laesionum. ex varietate

a. legis, naturalis vel positivae, poe-  
nalis vel non poenalis 830.

b. facti minus recti, in specie moralis,  
specialiss. dolosi, vnde delictum 831.

c. personae, quae laeditur, vnde deli-  
ctum est publicum vel priuatum 832.

B. ius imperantis circa laesiones subditorum

a. in genere ius cogendi, 833.

b. in specie laesiones morales punien-  
di, 834. vnde obligatio subditi du-  
plex ad satisfactionem priuatam et  
publicam 835.

c. specialissime in criminis atrocias ius  
necis 836.

C. obli-

- C. obligatio imperantis circa laedentes subditos ad caussam prius cognoscendam, nec nisi probata laesione seu non nisi conuictum laedentem condemnandi 837.
2. summus imperans, 838. qui laedit
- A. singularem subditum 839. vndi ius laesi
  - a. litteris supplicibus sibi consulendi 842.
  - b. egrediendi ex ciuitate 843.
  - B. totum populum, 844. ex quo abusu imperii nascitur
  - a. in monarchia tyrannis, quam circa
  - A. vera principia iuris deducuntur  
    846.
  - B. spuria principia refutantur
  - a. Machiavellistarum,
  - b. Manarchomacharum 847.
  - b. in aristocracia olygarchia et dynastia,
  - c. in democratia ochlocratia. 848.

### Cap. V. ius ecclesiasticum.

#### Tit. I. ius ecclesiasticum in genere. De Ecclesia

1. in genere 850.
2. in specie de ea, cuius religio est positiva  
851. eiusque
  - A. negotiis eccles. 852. sq.
  - B. pacto sociali 856.
  - C. speciebus, aequalis vel inaequalis 859.
  - D. iuribus laesae contra laedentem socium
    - a. excom-

a. excommunicatione 862.

b. coacti ne 864.

**Tit. II.** ius ecclesiasticum publicum

1. in genere de ecclesia subdita summo imperio 866.

2. in specie

A. si summus Imp. est membrum ecclesiae 868. habet

a. ius circa sacra resp. negotiorum eccles. quae sunt arbitraria et salutem publ. conceruentia 873.

b. ius summae inspectionis resp. negotiorum necessariorum et adiaphorum 875. quorum principiorum conclusiones eruuntur 876. sq.

B. si summus imperans est diuersae religionis, tum vel

a. Subditi mutant religionem, vnde ius imp.

2. prohibendi ecclesiam nouam 881. et quidem

a. quoad id, quod necessarium est, sub exclusione a ciuitate 883.

b. quoad id, quod arbitratum est, sub poena ciuili 884.

B. vel conditiones, sub quibus fiat ecclesia tolerata aut approbata, praescribendi. 886.

b. vel summus imperans mutat religionem, tum pactis mutua securitas stabilienda 887.

Addit*a*

Addita sententia nostra de iure priuato vniuersali.

*Lib. IV.* ius gentium vniuersale.

Ex ordine capitum iuris N. in specie clara fiet dispositio capitum iuris gentium.

*Cap. I.* ius gentium in genere. Iuris gentium

1. conceptus adaequatus 891.
2. differentia a I. N. in specie 892.
3. personae quae hoc iure gaudent et reguntur 893.
  - A. gens ipsa, persona mystica,
  - B. respublicae sociae 894.
  - C. Despotia 895.
  - D. summus imperans siue sit persona singularis seu moralis 896.
  - E. legatus 897. sq.
4. principium adaequatum 900. cum applicatione ad statum extraordinarium 902.

*Cap. II.* ius gentium absolutum.

- A. in genere intuitu gentis
  - a. obiectum sui absoluti est
    - A. conseruatio singulorum sociorum ciuitatis 906. et totius ciuitatis 907.
    - B. actiones iustae singulorum ciuum et totius ciuitatis 908.
  - b. iura inde deriuata
    - A. in genere 909.

XXXII CONSPECTVS LIBELLI.

B. in specie quoad

a. libertatem naturalem 910.

b. existimationem bonam simpli-  
cem 911.

B. speciatim respectu legati, qui et ipse  
et eius comitatus, simul atque alii genti-  
tamquam legatus innotescit,  
a. est in statu naturali 912.  
b. habet iniuiabilitatem 914.  
c. et sanctimoniam 915.

*Cap. III. ius gentium hypotheticum.*

1. in genere respectu gentis. Suum gentis  
quaesitum est

A. generatim

a. quicquid est suum quaesitum fingulo-  
rum ciuium 916.

b. territorium gentis cuius explicantur  
α. iura, 917.  
β. ambitus, quoad

1. omne id, quod intra territorii  
limites reperitur, et olim fuit  
res nullius 918.

2. omnia accessoria 920.

B. speciatim

a. quicquid gens iuste occupat 922.

b. quidquid pacto valido adquisiuit 924.

Pacta inter gentes dicuntur conuen-  
tiones publicae,

α. generatim de conuentionum publ.  
validarum . . . . . I. requi-

1. requisitis 925.
2. effectu 926.
3. speciatim de foederibus 927.
2. in specie respectu legati, quoad eius
  - A. suppellestilem 928.
  - B. aedes, 929.
  - C. transitus, 930.
  - D. Admissionem, 931.
  - E. negotium commissum, 933.

*Cap. IV.* ius belli gentium.

- I. In genere de bello inter gentes s. bello solenni, cuius
  1. definitio, 934.
  2. caussa iustifica laesio, 935. quae ad belli praeuiam indictionem non obligat, 936.
  3. iura in hostium
    - A. personas 937. ad offendendos, interficiendos, capiendos hostes, 938.
    - B. res 939.
  4. limites 941.
- II. in specie de pactis intuitu belli initis 942.
  1. quotuplicia sunt 943.
    - A. ante bellum exortum 944.
    - B. durante bello sancta, haec vim bellii
      - a. tollunt, aut
      - b. imminunt. Haec dicuntur in specie pacta bellica, 945. et sunt
        - a. vniuersalia, quo pertinent induiae, aut
        - b. particularia, quo refer pacta

de neutralitate regionis hostilis,  
deditio[n]is, de lytro, litteras lib.  
commeatus, armistitia 946.

2. quatenus valida 947.

*Appendix.* Ius gentium Europae practicum.

Ordo capitum ex dispositione capitum  
I. G. Vniu. depromptus.

*Cap. I.* Ius Gentium Europae practicum  
in genere, cuius traditur

1. conceptus

A. in genere §. 2.

B. in specie ex consuetudinibus gentium 5.

2. origines 7.

3. obligandi vis 9. sq.

4. principium 12.

5. mutabilitas 13.

6. probatio 14.

*Cap. II.* Ius G. E. Pr. respectu iuris  
absoluti. Datur inter gentes  
Europae

1. inaequalitas §. 2.

2. diuerfi gradus existimationis et honoris 4.

A. quoad gentes ipsas et earum summos  
imperantes, cuius ratio sita est in

a. religione Catholica

b. in

- b. in possessione antiqua,
- c. in diuersa ciuitatum forma,
- d. in potentiae gradu differente.

- B. quoad gentium legatos, cuius fundamen-  
tum est
- a. in charactere legatorum diuerso,
  - b. in gentis, quam repreäsentant, di-  
gnitate diuersa.

### *Cap. III. Ius G. E. Pr. respectu iuris hypothetici.*

In Europa

- 1. maria dantur clausa, quorum iura parti-  
cularia indigitantur §. 1.
- 2. aditus et transitus per territorium nemini  
denegatur, sed tamen variae conditiones  
praescribuntur 4.
- 3. conuentiones publicae requirunt ratihabi-  
tionem summi imperantis 5. iuramentis  
raro confirmantur, garantiis plerumque 9.
- 4. Quasi-contractus non recepti,
- 5. praescriptio non firmi iuris 10.
- 6. Successio ab intestato et ex testamento in-  
dubii valoris,
- 7. Legatorum iura consuetudinaria in dies  
pauciora 12.

### *Cap. IV. Ius G. E. Pr. respectu belli.*

- 1. Manifesta bellica recepta, non vero am-  
plius belli indictio sollemnisi §. 1.

2. Violentia bellica humanior facta 2.  
 3. ius belli et hostis non conceditur nisi gen-  
     ti, et qui eius auctoritate agunt 5.  
 4. confuetudines in bello quoad  
     A. personas hostium 8. sq.  
         a. antequam in potestatem redacti fint,  
         diuersum ius  
             1. circa resistentes vel non - resisten-  
             tes,  
             2. circa personas status militaris vel  
             ciuilis,  
             b. postquam in potestatem redacti sunt  
             19. sq.  
 B. hostium res 28. sq. quarum variae  
     species vario iuri subsunt,  
 C. pacta bellica 37. sq. in specie saluam-  
     gardiam 40.





## PROLEGOMENA.



### §. 1.

t iuris naturalis conceptum eruamus,  
inquirendum, quid sit 1) ius in  
genere, 2) ius naturale in specie.

### §. 2.

Ius omne inuoluit ideam legis, lex obliga-  
tionis ideam.

### §. 3.

Dantur actiones hominis, quas 'pro lubitu  
committere vel omittere potest. Si quis ad  
eiusmodi actionem vel committendam vel omit-  
tendam determinatur, dicimus eum obligari.

## §. 4.

Ex obligationis conceptu si formas propositionem, habebis legem. Itaque *lex* est propositione obligationem continens.

## §. 5.

Determinamur ad actionem committendam vel omittendam per illud bonum vel malum, quod ex actionis susceptione vel omissione oritur, consequenter quod ex actione speramus vel metuimus, id est per *consecutarium* actionis. Obligamur itaque per *consecutaria*.

## §. 6.

Pone actionem, ex cuius commissione vel omissione oritur coactio alterius: existet obligatio, cui annexus est metus coactionis alterius, seu obligatio sub comminatione coactionis alterius, seu breuius: obligatio coniuncta cum coactione alterius. Talis *obligatio* vocatur *perfecta*: atque inde dicitur ea obligatio imperfecta, quae cum coactione alterius coniuncta non est.

## §. 7.

Ex diuersitate obligationis diuersae oriuntur leges. *Lex*, quae obligationem perfectam continet, est *perfecta*: quae minus, est *imperfecta*.

## §. 8.

## §. 8.

Complexus legum perfectarum eiusdem generis vocatur *ius*. Ita determinanda est notio iuris: quod et usus loquendi comprobat, et ratio suffulcit, ne id quod iuris est, confundatur cum eo, quod tantum consilii est.

## §. 9.

Complexus itaque legum perfectarum naturalium efficit *ius naturale*.

Lex perfecta naturalis opponitur positivae.

Lex positiva est illa, quae cognoscitur ex declarata voluntate alterius: igitur *lex naturalis* est, quae cognoscitur citra declaratam alterius voluntatem.

## §. 10.

Habes definitionem legis et iuris naturalis ex charactere negativo. Si desideras adfirmatum: memineris, ius naturale esse partem philosophiae, ideoque eius propositiones, hoc est leges iuris naturalis esse deducendas ex principiis vniuersalibus. His principiis annumeranda est natura hominis et natura actionum humanarum.

Quum itaque ex ipsis principiis deduci possint leges perfectae, constat, *legem perfectam*

*naturalem esse eam, quae ex natura hominis eiusque actionis cognoscitur: et huiusmodi legum perfectarum complexus efficit ius naturae.*

§. 11.

Vt lex quaedam naturalis referri possit ad ius naturale, requiritur vt sit perfecta: quod et ius naturale, qua ius, exigit (§. 8.), et finis studii Iuris N. poscit, vt eius leges ad diuersos hominum status sint applicabiles, et ipsa differentia specifica, qua ius N. a philosophia practica, eius genere proximo, et philosophia moralis, eius conspecie, separari debet, necessario requirit.

§. 12.

Philosophia omnis est scientia. Ergo ius naturae est *scientia* legum perfectarum naturalium.

§. 13.

Natura hominis atque actionum hominis sunt ideae vniuersales, et natura humana tribuenda omnibus hominibus, consequenter et leges naturales vniuersaliter ad omnes homines, quas tales, applicari possunt. Hinc dupli sensu voci potest ius Naturae *ius vniuersale*.

§. 14.

## §. 14.

Leges iuris naturalis per rationem cognoscuntur. Inde ius naturae appellatur *ius rationis*.

## §. 15.

Ex diuerso statu hominum oriuntur diuersae legum naturalium determinationes. Hinc ius naturale, prouti applicatur ad diuersum hominum statum, diuerso etiam nomine insignitur.

## §. 16.

*Status hominis* est vel *solutarius* seu *extra-socialis* vel *socialis*: inde ius naturale diuiditur in *ius naturale in specie* seu *ius mere naturale* et *ius sociale*.

## §. 17.

Societatum vna est maxima, *civitas*, reliquae dicuntur *minores*. Vnde ius sociale differtur in *ius societatum minorum* et in *ius civitatis*, confer §. 637.

## §. 18.

Minorum societatum aliae sunt *simplices*, aliae *compositae*. Simplices, quas explicabimus, sunt *societas matrimonialis*, *paterna*, *herilis*: composita est ea, quae ex dictis simplicibus coalescit, *familia*. Inde diuiditur ius societatum minorum in *ius matrimoniale*, *paternum*, *herile* atque *domesticum* seu *ius familiae*.

## §. 19.

Ius ciuitatis aliud est respectu *sociorum ciuilium*; aliud respectu *exterorum*: illud appella-  
mus *ius ciuitatis internum*; hoc *ius ciuitatis ex-ternum*. Prioris species praecipua est *ius publi-  
cum vniuersale*, posterioris *ius gentium*, con-  
fer §. 708. vsque ad 710.

## §. 20.

Seiunximus ob materiae praestantiam a iure  
publico particulam eius, ius summi imperantis  
in ecclesiam, atque illud peculiari tractatione  
complexi sumus sub titulo: *iuris ecclesiastici  
vniuersalis*.

Quae iuri gentium addita sunt ex *iure gen-  
tium Europaeorum practico*: ea ad ius vniuersa-  
le non pertinent: sed appendicis tamen locum  
ob insignem huius disciplinae utilitatem opti-  
mo iure merentur.

## §. 21.

Ius naturae, quod cum incunabilis mundi  
singulorum hominum et societatum simplicium  
atque familiarum, deinde ciuitatum, et tandem  
gentium quoque dirigere actiones coepit, ipso  
usu nulli vniquam aevo incognitum fuit. Sed

systematica eius tractatio diutissime neglecta effecit, ut sero admodum nobilissima doctrina inter reliquas disciplinas in formam artis redactas locum inuenierit.

§. 22.

Graecorum Philosophorum sectae, quas postea et Romani propagauerunt, varia iusti atque iniusti struxere principia, non tamen separatis Philosophiae practicae a Iuris naturae rationibus. Quod medio etiam aevo a Scholasticis adeo fuit neglectum, ut potius, superadditis Theologiae Christianae Iurinique Romani et Canonici principiis, summa imis miscerent,

§. 23.

Instaurata philosophandi libertate, NICOLAVS HEMMINGIVS ET BENEDICTVS WINCKLER ad explicandum ius naturale accesserunt: sed illotis manibus rem aggressi, incassum laborarunt. Felicius cessit HVGONIS GROTI labor, qui cum maxima nominis sui celebritate condidit ius belli et pacis, opus insigne, eruditum tamen magis, quam systematicum, aude interim arreptum, pluribusque et compendiis et commentariis inde ad hunc usque diem fuit illustratum.

§. 24.

## §. 24.

Noua principia nouamque methodum amplexus THOMAS HOBBESIVS, ingenium mathematicum, optime philosophabatur; sed ex principio pessimo: cui aequius suum opposuit RICHARDVS CVMBERLANDIVS aliquis, quibus tamen palmam praeripit SAMVELIS PVFENDORFFII ius naturae et gentium, opus utilissimum et systematicum, atque ex aduersariorum aequa ac asseclarum caterua celeberrimum.

## §. 25.

Aliam viam ingressus CHRISTIANVS THOMASIVS, receptarum opinionum acer hostis, nouarum defensor non semper sibi constans, plura protulit haud dicta, non tamen meliora omnia. Maiori adhuc adplausu CHRISTIANVS WOLFIUS et HENRICVS KOELERVIS, vterque LEIBNITII principiis nutritus, in iure naturae secundum methodi demonstratiuae regulas euoluendo desudarunt, atque huic doctrinae lucem affuderunt sane eximiam: quorum vestigia et nunc premunt plurimi; licet non desint, qui pro ingenio quisque in varia abire malunt.



# PRAECOGNITA IVRIS NATVRAE.

## CAPVT I.

DE

### NATVRA HOMINIS MORALI.



§. 1.

In homine variae continuo deprehenduntur *mutationes*. Harum aliae ex eius vi propria oriuntur, aliae minus. Illae dicuntur **ACTIONES**, hae **PASSIONES**.

§. 2.

*Agit homo et corpore et anima. Corpus eius organicum actionibus edendis innumeris diversique generis mirifice est adaptatum.*

A

§. 3.

## §. 3.

*Animae humanae actiones pariter inter se differunt: consistunt nimirum vel in representationibus vel in conatibus. Vnde duplex animae tribuitur FACULTAS, REPRÆSENTATIVA et APPETITIVA.*

## §. 4.

*Omnes animae humanae actiones concipiuntur vel ex eo, in quo differt ab animabus reliorum animalium, vel in quo non differt. Prior affectio eius dicitur RATIONALITAS, posterior ANIMALITAS.*

## §. 5.

*Igitur et representationes et conatus animae humanae vel ex eius animalitate vel rationalitate effluunt. Vnde FACULTAS tum representativa tum appetitiva oritur duplex. Altera, quam ex animalitate animae concipimus, vocatur INFERIOR: altera, quam ex eius rationalitate intelligimus, nuncupatur SUPERIOR.*

1. Praetermissis, quae ex logica de facultate representationia, speciatim superiori, supponuntur; statim ad perspiciendam appetendi facultatem transimus.

## §. 6.

## §. 6.

VARIA, quorum coniunctio ex ratione communi concipi potest, CONSENTIVNT: quorum coniunctio ita concipi nequit, ea DISSENTIVNT.

## §. 7.

Variorum consensus dicitur **P E R F E C T I O**, dissensus **I M P E R F E C T I O**.

## §. 8.

Perfectio relata ad ens aliquod dicitur eius **B O N V M**, imperfetio autem eiusmodi **M A L V M**.

Hinc bonum intuitu mei est, quod me perfectit: malum intuitu mei, quod me imperfectionem reddit.

## §. 9.

Pone duo bona, alterum maius, alterum minus, ita vt

- 1) alterutrum non possit non existere, et
- 2) existentia vnius excludat existentiam alterius.

Quod si hoc casu existit bonum minus; impeditur boni maioris existentia, ideoque plus imperfectionis, quam perfectionis inde res capitur. Ergo malum inde oritur intuitu boni mai-

ioris, cuius existentia impeditur. Hinc bonum eiusmodi minus est malum, atque vocatur **M A L U M C O M P A R A T I V U M**.

Eadem ratione demonstratur, malum minus respectu mali maioris esse bonum, cuiusmodi malum vocatur **B O N U M C O M P A R A T I V U M**.

Huic malo et bono comparatio opponitur bonum et malum **A B S O L V T U M**, quod per se tale est.

### §. 10.

Homo dum cogitat bonum, seu dum obiectum quoddam ad se refert, et illud sibi cogitat perfectionem; sentit conatum versus bonum, id est ad bonum obtainendum: e contrario si cogitat malum, seu obiectum quoddam ad se relatum sibi cogitat imperfectionem; sentit conatum aduersus malum, id est ad fugiendum malum. Prior conatus nuncupatur **I N C L I N A T I O A N I M A E** siue **A P P E T I T V S**, posterior **R E C L I N A T I O A N I M A E** seu **A V E R S A T I O**.

### §. 11.

Prouti bonum et malum est vel absolutum vel comparativum (§. 9.); **I N C L I N A T I O** et **A V E R S A T I O** animae est vel **P E R S E** vel **H Y P O T H E T I C E** talis.

### §. 12.

## §. 12.

Quidquid cogito, vel in *concreto* vel in *abstrato* cogito. CONATVS ex idea concreta vocatur SENSITIVVS, ex abstracta RATIONALIS.

Vnde consequitur, vt et APPETITVS et AVERSATIO, ideoque omnis animae CONATVS respectu boni ac mali vel SENSITIVVS sit vel RATIONALIS.

## §. 13.

Interdum anima erumpit in AFFECTVS, qui sunt conatus sensitiui praedominantes, hoc est, qui ceteros conatus coexistentes in anima supprimunt. Hi continent mox appetitum, qui progignit AFFECTVM GRATVM; mox auersationem, qui creat AFFECTVM INGRATVM.

## §. 14.

Dantur praeterea in anima conatus quidam ad obtinendum vel fugiendum aliquid, citra cogitationem boni vel mali, qui vocantur INSTINCTVS seu STIMVLI NATVRALES.

## §. 15.

Appetitus et auersatio, quatenus sunt *sensitiui*, porro affectus et instinctus naturales re-

feruntur ad facultatem animae appetitivam inferiorem (§. 5.).

### §. 16.

Reperitur vero in anima humana praeterea etiam VOLVNTAS, quae in genere est conatus ortus ex eo, quod bonum vel malum sibi anima iudicat. In specie VOLVNTAS sumitur pro appetitu orto ex eo, quod anima sibi bonum esse iudicat: et tunc ei opponitur NOLVNTAS, quae est auersatio orta ex eo, quod sibi malum esse iudicat.

i. In sequentibus, quae de voluntate dicentur, ita ut noluntatis mentio non fiat, de VOLVNTATE in genere intelligenda sunt.

### §. 17.

Vnde prono alueo effluit,

i) voluntatem continere appetitum rationalem; noluntatem contra auersationem rationalem: ideoque voluntatem in genere omnem involvere conatum rationale (§. 12.),

z) voluntatem esse vel *absolutam* vel *hypotheticam* (§. 11.).

### §. 18.

Appetitus et auersatio, quatenus sunt rationales, consequenter etiam voluntas pertinent

nent ad facultatem animae appetitivam superiorem (§. 5.).

## §. 19.

Iam voluntas paullo curatius inuestiganda. Ante omnia tenendum, ex eius conceptu sequi, vt

- 1) nil nisi bona velimus,
- 2) nil nisi mala nolimus (§. 8.),
- 3) malum minus respectu maioris velimus,
- 4) bonum minus respectu maioris nolimus (§. 9.).

## §. 20.

PERFECTIO, cuius conceptus logice est verus; ipsa est VERA: cuius erroneus; est SPVRIA seu APPARENS. Vnde simul quid imperfectio, bonum et malum sit verum, quidue apparens, intelligitur.

## §. 21.

Quilibet experitur, se interdum errare in cogitatione boni vel mali, ita

- 1) vt, quod bonum est, iudicet esse malum; quod malum, bonum: quod malum maius, iudicet malum minus; quod bonum maius, minus,
- 2) vt idem obiectum sub iisdem (ratione bo-

nitatis vel prauitatis) circumstantiis mox bonum sibi, mox malum iudicet.

### §. 22.

Ex quo errore intellectus oriuntur naeui voluntatis, ita vt

1) saepe sub specie boni malum amplectatur, sub mali specie bonum fugiat, malum maius sub specie minoris arripiat, bonum maius sub specie minoris reliquit,

2) saepe mutetur circa idem obiectum sub iisdem circumstantiis, ita vt illud mox appetat, mox auergetur.

### §. 23.

Caue igitur existimes, id quod volumus, nolumusue, esse vere bonum et malum: sufficit, id iudicari seu videri nobis bonum aut malum.

### §. 24.

M O T I V V M dicitur notio boni vel mali voluntatem determinans.

### §. 25.

Quum itaque motuum sit id, quod sibi bonum vel malum anima iudicat, vnde oritur ille cona-

conatus agendi, quem nominauimus voluntatem (§. 16.): sequitur, vt

- 1) absque motiuī non detur voluntas,
- 2) posito motiuo ponatur necessario voluntas.

### §. 26.

SPONTANEITAS est facultas entis, qua ad agendum et non agendum aequē sese ipsum (quod metaphysici appellant *per principium intrinsecum*) determinare potest: atque hinc, quidquid agere et non agere pendet a spontaneitate, dicitur ACTIO SPONTANEA.

1. Quidquid igitur ens aliquod in casu dato determinare potuit, an agendum sibi sit, vrum minus agendum: illud est eius actio spontanea.

### §. 27.

Spontaneitas itaque requirit

1) ratione obiecti agendi, vt in casu dato aequē possibile sit, et agere et non agere; agere hoc, agere aliud: hoc est, requirit plura contingentia.

Et quum actus, quo ens ex pluribus contingentibus id determinat, quod sibi maxime placet, vocetur ELECTIO: spontaneitas requirit

- 2) ratione agentis facultatem eligendi.

## §. 28.

Ergo qui sponte agit, ille ex principio intrinseco mediante electione determinare potest,

- 1) *an* sit agendum,
- 2) quae inter diuersas actiones sit agenda, seu *quomodo* sit agendum (§. 27.).

## §. 29.

Anima humana in infinitis actionibus gaudet spontaneitate (*per exper.*).

## §. 30.

Spontaneitas entis intelligentis dicitur LIBERTAS MENTIS seu ARBITRIVM, LIBERVVM ARBITRIVM, LVBITVS.

## §. 31.

LIBERE hinc AGIT, qui vsu intellectus instructus sponte agit, et quidquid agere atque non agere pendet ab arbitrio dicitur ACTIO LIBERA (RATIONE DETERMINATIONIS seu INTERNE TALIS).

1. Quidquid igitur ens intelligens in casu dato sponte determinare potuit, an agendum sihi sit, vel minus agendum: illud est actio eius libera.

2. Quid-

2. Quidquid ita est comparatum, vt eius existentia vel non existentia pendeat ab arbitrio, illud est actio libera.

### §. 32.

Anima humana est ens intelligens, et gaudet spontaneitate (§. 29.). Competit itaque homini libertas mentis (§. 30.), eaque consistit in ea illius facultate, qua vt ens intelligens ad agendum et non agendum aequa fese determinare potest.

### §. 33.

Constat per experientiam, existere in homine

- 1) passiones et actiones,
- 2) actiones et corporis et animae,
- 3) actiones facultatis et repraesentatiuae et appetitiuae, tum inferioris tum superioris,
- 4) in specie actiones et intellectus et voluntatis:

quae mox ab arbitrio determinantur, mox minus determinantur.

### §. 34.

Hinc generalissima mutationum hominis divisio, quod quaelibet mutatio vel sit actio libera, vel non sit actio libera: quae posterior et dicuntur

CITUR M V T A T I O N A T V R A L I T E R N E C E S S A R I A (quibusdam PHYSICE necessaria).

1. Mutatio naturaliter necessaria vel *actio*  
vel *passio* naturaliter necessaria est (§. 1.).

### §. 35.

Qua propter

- 1) et passiones et actiones hominis,
- 2) actiones et corporis et animae,
- 3) actiones facultatis et repraesentatiuae et appetitiuae, tum inferioris tum superioris,
- 4) in specie actiones et intellectus et voluntatis diuidi debent ita, ut vel sint actiones liberae, vel sint mutationes naturaliter necessariae.

### §. 36.

Saepius eadem mutatio hominis pro diuerso respectu tribui arbitrio et potest et nequit (*per experient.*) Hinc eadem mutatio pro diuerso respectu tam actionibus liberis, quam mutationibus naturaliter necessariis accensetur.

1. Plures mutationes, dum existere incipiunt, sunt naturaliter necessariae: quae tamen referuntur et referri debent ad liberas, quatenus arbitrium tamquam caussa caussae est etiam caussa causati.

### §. 37.

## §. 37.

In specie videamus libertatem mentis intuitu intellectus et voluntatis.

Quod attinet ad intellectum, iudicamus cogitationibus nostris conuenienter. Posito,

1) nos aliquid cogitare ut verum : impossibile est, ut idem iudicemus esse falsum. Eatenus actio intellectus est naturaliter necessaria (§. 32.).

2) Pone, me aliquid primo intuitu iudicare verum : pendet ab arbitrio meo, vtrum ad illud obiectum attendam, et desuper reflectam, nec ne; vtrum in eius notionem seu ideam distinctam inquiram, eamque mihi comparem, nec ne. Eatenus actus, quo intelligo, est actio libera (§. 31.). Ergo quatenus pendet ab arbitrio nostro, ut mediante reflexione seu consultatione iudicium falsum mutare possimus in iudicium verum ; eatenus iudicium nostrum et verum et falsum est actio libera.

## §. 38.

Quad attinet ad voluntatem :

1) Pone obiectum, quod mihi iudico bonum : pones voluntatem necessario (§. 16.). Eatenus adest conatus naturaliter necessarius.

2) Pone obiectum, quod primo intuitu mihi iudico bonum: pendet ab arbitrio meo, vtrum

a) in eo attentionem et reflexionem ponam vel minus, indeque

b) vtrum intelligam qua verum bonum, an minus intelligam.

Eatenus actus, quo volo, seu VOLITIO est actio libera.

Ergo quatenus pendet ab arbitrio meo, ut mediante reflexione seu consultatione iudicium falsum de bonitate obiecti mutare possim in verum: eatenus etiam pendet ab arbitrio meo, ut conatum versus obiectum habeam vel minus, hoc est, vtrum quid velim, an minus velim.

1. Sub eadem hypothesi constat, quod etiam pendeat ab arbitrio meo, ut aliquid mihi fiat motuum vel minus, vtque conatum ex prima cogitatione ortum suppressam vel exseram.

### §. 39.

Arbitrium itaque determinare potest infinitis actionibus et intellectum et per intellectum etiam voluntatem. Quatenus ita determinat, eatenus DIRIGIT.

## §. 40.

Non vero efficere potest arbitrium, vt, quod euidentissime iudicamus verum, illud iudicemus falsum (§. 37.): nec quod euidentissime iudicamus verum bonum, vt idem nolimus (§. 38.), quod exprimunt: arbitrium nequit M V T A R E intellectum nec voluntatem. Et eatenus intellectus et voluntas agit necessario.

## §. 41.

Arbitrium itaque et voluntas, actio libera et actio voluntatis a se inuicem differunt. Ergo

1) non omnis actio libera est simul actio voluntatis,

2) Nec omnis actio voluntatis est simul actio libera (in ipso actu, quo incipit existere): licet omnis actio voluntatis referri possit ad actiones liberas, quatenus ab arbitrio pependit, vt id, quod volumus, intelligeremus esse bonum vel malum (§. 36.).

1. Interim a pluribus pro vno eodemque habentur actiones voluntatis et actiones liberae. Sufficit disserimen nosse: licebit loqui, vt alii loquuntur. Hinc, quae in posterum de voluntate et eius actionibus dicentur, eatenus adstrui a nobis intelligat lector, quatenus voluntas et voluntatis actio admittit arbitrium.

## §. 42.

NECESSITAS, quatenus ex motiuo concipitur, dicitur MORALIS. Omnis igitur voluntas continet necessitatem moralem (§. 25.).

## §. 43.

Quatenus ergo voluntas non excludit arbitrium (§. 38.): eatenus et necessitas moralis consistere potest cum libertate mentis.

## §. 44.

Actionem liberam diximus omne id, quod agendum vel non agendum determinare potuit arbitrium (§. 31.). Itaque arbitrium eiusmodi actionem vel determinauit, vel minus determinauit. Si determinauit: eam vel determinauit agendam seu existentiae reddendam, vel non agendam, seu existentiae non reddendam. ACTIO LIBERA, quam arbitrium determinavit agendam, vocatur actio COMMISSIVA: actio autem libera, quam arbitrium aut non determinauit, aut determinauit non agendam, vocatur ACTIO LIBERA OMISSSIVA.

## §. 45.

Actio libera commissiva vel continet mutationem extra agentem vel minus. Haec dicitur

tur ACTIO LIBERA INTERNA; illa EX-  
TERNA, quam etiam vocant opus externum.

## §. 46.

Id quod homini per vires ab eius arbitrio  
pendentes possibile est, seu quod respectu  
agentis, seu quod respectiue est possibile, dici-  
tur in EIVS POTESTATE, seu eius POTE N-  
TIAE SVBIECTVM esse: et actio in potestate  
nostra posita vocatur ACTIO NATVRALI-  
TER(PHYSICE) POSSIBILIS, ACTIO EX-  
TERNE LIBERA seu RATIONE EXSECV-  
TIONIS LIBERA.

## §. 47.

Vt agatur vel non agatur id, quod arbitri-  
um determinat; requiritur, vt per vires ab ar-  
bitrio pendentes sit possibile. Vnde clarum  
est, ad actionem liberam requiri, vt sit in po-  
testate agentis posita.

## §. 48.

Iam vero

1. quidquid absolute vel naturaliter est  
impossibile, et

2. quidquid absolute vel naturaliter neces-  
sarium est,

illud non est in potestate nostra. Ergo actio externe libera excludit tum impossibilitatem tum necessitatem et absolutam et naturalem.

i. Idem argumentum hac ratione euincitur. Actio externe libera, seu quae in potestate nostra est, requirit, ut per vires ab arbitrio pendenter sit possibilis et ad committendum et ad omittendum (§. 31. et §. 47.). Iam vero quidquid

a) est absolute vel naturaliter necessarium, illud omitti nequit,

b) est absolute vel naturaliter impossibile, committi nequit. Ergo quidquid aut absolute aut naturaliter est vel necessarium vel impossibile: illud non est in potestate nostra, ideoque e sphaera actionum liberarum exulat.

### §. 49.

**A V C T O R A C T I O N I S** dicitur is, ad cuius arbitrium referri potest existentia vel non-existentia actionis. Hinc, cui tribuitur actio libera, ille est actionis auctor.

### §. 50.

Denique an actio coacta adnumerari liberis actionibus possit? quaeritur. cogere inquit, ut quid **I N V I T E** fiat, id est fiat cum auerfati\*

auersatione, et significat, determinare alterum,  
vt inuite agat vel patiatur.

### §. 51.

Si determinatur alter ad vnicum; cōactio  
vocatur ABSOLVTA: si ad vnum ex quibus-  
dam determinatis eligendum; dicitur HYPO-  
THETICA,

### §. 52.

Libertas mentis cum coactione absoluta  
consistere nequit (§. 48.), hypothetica vero  
coactio eam per se non tollit (§. 26.).

Est tamen libertas mentis in coactione hy-  
pothetica admodum *restricta*: quum non ex  
omnibus possibilibus; sed ex determinatis pro-  
positis eligendi facultas detur.

### §. 53.

Quatenus igitur actio hypothetice coacta  
admittit arbitrium, eatenus etiam actionibus li-  
beris adnumeranda (§. 30.).

i. Qui hypothetice coactus agit, agit ex  
auersatione absoluta et simul ex inclinatione  
hypothetica (§. 11.).

### §. 54.

Actiones liberae habent consectoria, aliae  
bona, aliae mala (*per exper.*).

## §. 55.

Praeditus est homo *ratione*, summo illo intellectus gradu, qua nexum rerum perspicere valet, cuiusque usus eodem modo quo intellectus exercitium pendet ab arbitrio (§. 37.).

## §. 56.

In pluribus actionibus liberis homo ex arbitrio per rationem cognoscere potest earum conlectaria bona vel mala, antequam ad agendum vel non agendum sese determinet, hoc est **PRAEVIDERE** potest ea conlectaria.

## §. 57.

**Actio libera**, cuius conlectarium bonum vel malum homo praeuidere potest, est **ACTIO MORALIS**. Vnde concipitur **MORALITAS ACTIONIS**, hoc est ea relatio actionis liberae ad agentem, quatenus eius conlectarium bonum vel malum praeuidere potuit.

## §. 58.

Quod si homo in data quadam actione libera conlectarium eius praeuidere potest: actionem liberam vel ita, ut per eam bonum aliquod obtineat, aut malum evitet, dirigit; vel non dirigit. In casu priori actionem moralem

CONVENIENTER RATIONI; in posteriori  
DISCONVENIENTER dirigit. Actio moralis,  
conuenienter rationi directa, est ACTIO MO-  
RALITER BONA; disconuenienter autem  
directa vocatur MORALITER MALA. Vn-  
de intelligitur, quid sit actionis moralis BONI-  
TAS; quidue eius PRAVITAS seu MALITAS.

## §. 59.

Homo igitur moraliter et bene et male a-  
gere potest (§. 56. et 58.).

## §. 60.

Et actiones liberae moralitatis sunt capaces  
(§. 57.).

## §. 61.

Haec de homine nosse nunc quidem suffi-  
cit. Constituunt ea, quae hactenus in medium  
protulimus, eius essentiam seu NATVRA M.  
Inde quidquid ex ea eius natura concipitur,  
homini tribuitur esse NATVRALE.

## §. 62.

In specie quatenus homo moraliter bene et ma-  
le agere potest, NATVRA eius vocatur MORALIS.

## §. 63.

Si respicis hominem intuitu actionum suarum moralium; respicis eum in statu quodam, id est in complexu mutabilium in eo coexistentium: qui status hominis respectu actionum suarum moralium in genere dicitur **STATVS MORALIS.**

## §. 64.

Quodsi consideras statum moralem respectu actionum editorum, ex quibus ortus est; hic status posterior est actionibus moralibus, et dici potest **CONSEQUENTER MORALIS**, qui est vel *bonus* vel *malus* (§. 54.).

## §. 65.

Si vero intueris statum hunc respectu actionum, ad quas edendas habilis est: status iste anterior est actionibus moralibus, et vocatur **ANTECEDENTER MORALIS.**

## §. 66.

*Homo*, qui ea est aetate, quae cum pleno usu intellectus coniuncta esse solet, dicitur esse **AETATIS ADVLTAE** seu **ADVLTVS** seu **MAIORENNIS.**

## §. 67.

Homo adultus et sanus vocatur esse in s T A,  
T V A N T E C E D E N T E R M O R A L I P E R F E-  
C T O : qui minus ; in I M P E R F E C T O .

## §. 68.

Qui est adultus et sanus, habet *integras* et  
animaee et corporis *vires*: qui minus ; in eo  
reperitur *virium* quarundam *defectus*.

## §. 69.

Atque is quidem *defectus* vel quoad *genus*  
*actionum moralium*, vel quoad *actionem moralem*  
*singularem* sese exserit.

## §. 70.

D E F E C T V S prior aut est a nativitate, aut  
minus : ille dicitur C O N N A T V S ; hic, quum  
ex postfacto superueniat, A D V E N T I T I V S .

## §. 71.

Defectus connatus est vel aetatis adultae  
vel sanitatis.

## §. 72.

D E F E C T V S A E T A T I S A D V L T A E est  
defectus virium ob aetatem cum pleno usu in-  
tellectus nondum coniunctam, et dicitur A E-  
T A S M I N O R seu M I N O R E N N I T A S .

Huc refer *infantiam*, *impubertatem*, *pueritiam*. Temporis tamen terminus ex principiis vniuersalibus non liquet.

### §. 73.

**D**efectus sanitatis connatus dicitur DEFECTVS CONNATVS *in specie*, et adficit vel animam vel corpus.

1. Huc pertinent, qui a natuitate sunt stupidi, mentis non compotes, qui nascuntur coeci, surdi et muti cet.

### §. 74.

**D**efectus adventitius varius est, et complectitur

1. *morbos*, siue intellectus impedianc seu corporis usum,
2. *ebrietatem*,
3. *Somnum*,
4. *adfectus*,
5. *prauos habitus et consuetudines*.

### §. 75.

Quoad actionem moralem singularem deficiunt vires; si quis cognitionem actionis habet aut nullam, aut actioni minus conuenientem, Priori casu adeat IGNORANTIA; posteriori

ERROR.

Ad

1. Ad errorem referendae opiniones falsae, vanae persuasiones, praeiudicia.

### §. 76.

Qui in statu eiusmodi imperfecto est constitutus, eius vires deficiunt vel ad agendum, vel ad moraliter agendum. Hinc homo in statu antecedenter morali imperfecto ad alias actiones morales edendas est inhabilis; alias vero, quas agit, non agit ut morales.

### §. 77.

Interim ad diiudicandas eiusmodi actiones de eo sollicite disquirendum est, vtrum is status imperfectus enatus fuerit ex actione morali, an minus. Posteriori casu actio ex statu imperfecto edita non est moralis: priori casu contra moralibus omnino accensetur (§. 57.).

1. Dantur itaque vti actiones liberae, quae ipso actu tales non sunt (§. 36.): ita et actiones morales, quae ipso actu non sunt morales; sed ex consequentia sunt morales.

2. Vnde concipitur brocardicum: qui vult antecedens, vult etiam consequens. Quod verum est, quatenus hoc praeuidere potuit (§. 57.).



PRAECOGNITORVM IVRIS  
NATVRAE  
CAPVT II.  
DE  
OBLIGATIONE ET LEGE  
MORALI.

§. 78.

**O**BLIGAT in sensu generalissimo, qui necit bonum vel malum consecutarium cum actione spontanea.

i. Hinc aliquibus dicitur obligatio constituta *spe* vel *metu* proposito.

§. 79.

Action spontanea est vel libera vel minus libera (§. 26. et 31.). Qui necit consecutarium bonum vel malum cum actione libera; OBLIGAT MORALITER: qui cum actione non morali; OBLIGAT NON MORALITER.

i. Ergo obligari ens omne potest, quod actionum spontearum est capax: moraliter obligati, nisi ens actionum liberarum capax, nequit.

§. 80.

## §. 80.

Qui nequit conspectarium cum ad actione libera, nequit notionem boni vel mali, quo voluntas determinatur, consequenter nequit motuum (§. 24.). Hinc OBLIGATIO MORALIS vocatur connexio motiui cum actione libera.

1. Haec definitio debetur LEIBNITIO. Dubia contra eam mouent BARBEYRAC in notis ad PVFENDORFFII I. N. et G. atque TREV-ER in annotatis ad eumdem de Officio H. et C. cap. II. §. 5. p. 53. Defensionem suscipit Mr. DE VATTEL in libro: *Loisir philosophique*, à Geneve 1747. 8.

2. Obligatio moralis est obligatio per excellētiam: quae in sequentibus de obligatione dicentur, de obligatione morali sunt intelligenda.

## §. 81.

OBLIGATIO respectu obligantis dicitur ACTIVA, respectu obligandi PASSIVA. Posterior nihil aliud est, nisi necessitatio agendi vel non agendi moralis (§. 42.).

1. Vbi obligationis terminum simpliciter ponimus, citra additum: PASSIVAE aut ACTIVE; ibi semper nobis sermo est de obligatione passiva, de necessitatione morali.

2. Ut, quae sit obligationis natura, plenius intelligatur; ad eius tres characteres, 1) motuum, 2) actionem liberam et 3) constitutionem nexus motuum inter et actionem animum aduertamus.

## §. 82.

## §. 82.

Obligatio requirit motuum (§. 80.). Quale igitur motuum, talis obligatio. Motuum inuoluit notionem boni vel mali conjectarii ex actione oriundi (§. 24.). Hinc

Quod attinet conjectarium:

1. ut vera sit obligatio, necesse est adsit conjectarium verum,

2. contra ex conjectario ficto et falso oritur obligatio spuria, ex incerto incerta, ex probabili probabilis, ex indirecto indirecta cet.

Quod attinet notionem: notio inuoluit cognitionem conjectarii. Ergo

1) ut quis obligetur, opus est, ut ei cognitum fiat conjectarium ex actione sua oriundum: hinc  
2) ad ignorata, qua talia, nemo tenetur.

## §. 83.

Obligatio requirit actionem liberam et interne et externe talem (§. 31. et 46.). Hinc

1) in res absolute vel naturaliter, id est per vires agentis impossibiles,

2) in res aut absolute aut naturaliter necessarias (§. 48.),

3) in eum, qui non est auctor actionis (§. 49.),

4) in

4) in eum, qui caret usu intellectus (§. 31.); non cadit obligatio.

1. Ultra igitur scire (§. 82.) et posse nemo obligatur.

### §. 84.

Omne motuum agendi praecedit ipsam actionem liberam (§. 25.). Hinc obligatio nisi in actiones futuras, id est ratione obligationis tempore posteriores, constitui nequit.

1. Hoc igitur sensu in actiones praeteritas non cadit obligatio.

### §. 85.

Obligatio requirit nexum inter actionem liberam atque motuum (§. 80.). Ergo

1) dum connectuntur bona vel mala consequentia cum actione libera; oritur obligatio,

2) quoad perdurat connexio; perdurat obligatio,

3) quando illa tollitur; haec cessat.

### §. 86:

Pone duas actiones liberas inter se connexas; constitue obligationem ad unam connexarum: pones obligationem etiam ad alteram connexarum actionum (per principia Metaph.).

i. Sed nisi haec connexa inseparabiliter talia sint ; obligatio indirecta eatenus spuria est.

### §. 87.

Ex speciebus actionum liberarum et con-  
fectariorum sequuntur species obligationis.

Action libera est vel commissua vel omissiu-  
(§. 44.). Hinc **OBLIGATIO** dispescitur in  
**ADFIRMATIVAM**, (quam et dicunt, minus  
tamen congrue, **POSITIVAM**), et **NEGATI-  
VAM**. Illa determinat ad actionem committen-  
dam, haec ad omittendam.

### §. 88.

Confectarium actionis liberae est vel bonum  
vel malum. Hinc

1) in obligatione adfirmativa negatur con-  
fectarium vel bonum cum commissione actionis,  
vel malum cum eius omissione, vel bonum cum  
commissione et simul malum cum omissione acti-  
onis :

2) in obligatione negatiua negatur confe-  
ctarium vel bonum cum omissione, vel malum  
cum commissione actionis, vel utrumque simul.

### §. 89.

Quamobrem obligatus

i) si

- 1) si agit obligationi conuenienter ; vel bonum obtinet, vel malum euitat, vel cum euitatione mali simul bonum obtinet :
- 2) contra si agit obligationi disconuenienter ; vel bonum non obtinet, vel malum non euitat, vel cum ingruente malo simul a bono excluditur.

### §. 90.

Omnis actio libera, cui adhaeret obligatio, est actio, quae habet consecaria bona vel mala (§ 79.), quae praeuideri possunt ab eo, qui obligatur (§. 82.). Ergo omnis actio libera, simul arque subiicitur obligationi, fit actio moralis (§. 57.).

### §. 91.

#### Quum

- 1) actio actione fit maior vel minor, prout est vel **C O M P O S I T A**, quae in plures resoluti potest, vel **S I M P L E X**, quae ita resoluti nequit;
- 2) consecarium bonum vel malum aliud alio fit maius vel minus ;
- 3) actio alia pluribus, alia paucioribus determinetur motiuis ;
- 4) consecaria etiam evidentius vel minus evidenter praeuideri possint :

sequi-

sequitur, ut obligationum quoque inter se collatarum alia sit maior, alia minor.

### §. 92.

Vnde elucet, obligationis dare gradus, eamque quantitatis et mensurae esse capacem.

### §. 93.

Homo actiones liberas edere potest (§. 32.), eius actiones moralitatis sunt capaces (§. 60.). Homo itaque est ens obligationis moralis capax (§. 80. et 90.).

### §. 94.

Tantum de obligatione. Accedimus ad considerationem legis. LEX, NORMA, REGULA in sensu generaliori est propositio, exprimens obligationem moralem, seu est propositio moraliter obligatoria.

Vocatur haec lex etiam lex MORALIS, ut ab aliis legis conceptibus distinguatur.

1. Vnde intelligitur aliorum definitio legis, quod sit propositio, secundum quam actiones liberas dirigere obligamus.

2. Legis ergo vnica virtus: OBLIGARE.

### §. 95.

Pone obligationem; simul atque eam propositione quadam explices, habebis legem  
(§. 94.)

(§. 94.). Posita itaque obligatione ponitur lex (*materialiter*).

### §. 96.

Lex nihil aliud est nisi obligatio propositio-  
ne expressa (§. 94.). Igitur, quae requirun-  
tur ad obligationem: eadem ad legem re-  
quiri immediate colligitur (§. 82. usque ad §.  
86.).

### §. 97.

Quum obligatio sit vel adfirmativa vel ne-  
gativa (§. 87.): **LEX** inde dispescitur in **PRAE-**  
**CEPTIVAM** et **PROHIBITIVAM** seu in **A-**  
**LENTEM** et **NEGANTEM** seu in **IVBENTEM**  
et **VETANTEM**.

### §. 98.

Legum dantur *gradus*, ita ut alia sit *maior*,  
*minor* alia: prouti nimirum altera maiorem, al-  
tera minorem continet obligationem (§. 91.).

### §. 99.

Homo legis moralis est capax (§. 93.).

### §. 100.

Actio libera si refertur ad legem quandam,  
ei vel est contraria, vel non est contraria. Illa

dicitur **A C T I O I L L I C I T A**, haec **A C T I O L I C I T A** seu **P E R M I S S A**.

i. LICET itaque seu **P E R M I S S V M** est omne id, quod legi non repugnat.

### §. 101.

**A C T I O L I C I T A** vel legi subest, vel minus subest. Illa vocatur **O F F I C I V M**; haec **A C T I O I N D I F F E R E N S** seu **A C T I O L I C I T A** *in specie* seu **P E R M I S S A** *in specie*.

i. Officium igitur omne simul est actio licita; sed non omne licitum simul est officium.

### §. 102.

Actio, quae legi subest, et ei non est contraria, debet ei esse conformis. **O F F I C I V M** itaque est actio legi subiecta, quatenus ei est conformis.

### §. 103.

Ex legis diuisione determinantur officiorum species (§. 101.). Hinc **O F F I C I V M** est vel **P R A E C E P T I V V M** seu **A D F I R M A T I V V M** seu **C O M M I S S I V V M**; vel **P R O H I B I T I V V M** seu **N E G A T I V V M** seu **O M I S S I V V M** (§. 97.).



PRAECOGNITORVM IVRIS  
NATVRAE  
CAPVT III.

DE

IMPVITATIONE MORALI.

§. 104.

**V**idimus capite I, quae sit actionis liberae generatim et ante legem consideratae indoles: capite II. eam perspeximus, quatenus ad legis moralis praescriptum est dirigenda, ideoque quatenus nondum existit. Restat, ut in eamdem inquiramus, quatenus actu dirigitur: siue illud fiat conformiter siue non conformiter legi, ideoque quatenus est existens.

§. 105.

Action spontanea singularis, quatenus obligationi subest, dicitur FACTVM: et si eiusmodi actio est libera, vocatur FACTVM MORALE.

I. Omnis actio libera, quatenus subest obligationi, est simul moralis (§. 90.). Hinc eiusmodi factum vocatur morale.

§. 106.

Homo factorum moralium capax est (§. 93.)

## §. 107.

Factum morale intuitu

1) actionis est vel COMMISSIVVM vel o-  
MISSIVVM (§. 44.),

2) obligationis seu legis moralis, cui subest,  
ei vel conuenit vel minus conuenit.

Illud vocatur RECTVM, hoc MINVS  
RECTVM.

## §. 108.

Factum morale

1) legi praeceptiuae conuenit; si actio libera,  
quam committere obligamur, committitur:  
non conuenit; si omittitur.

2) legi prohibitiuae conuenit; si actio libera,  
quam omittere obligamur, omittitur: non con-  
uenit; si committitur.

## §. 109.

Postulant leges, vt iis conuenienter aga-  
tur: ergo, vt quod agitur, iis non contradic-  
cat.

Id quod legi contradicit, vocatur MORA-  
LITER IMPOSSIBILE; quod minus, MOR-  
ALITER POSSIBILE.

Itaque leges morales nihil postulant, nisi  
quod moraliter possibile est.

## §. 110.

## §. 110.

Lges requirunt rectitudinem facti (§. 107. et 109.). Quodsi haec deficit, inspiciendum an eam rectitudinem assequi fuerit in potestate agentis vel minus, id est, an DEFECTVS REC<sup>T</sup>ITUDINIS fuerit VINCIBILIS vel IN-  
VINCIBILIS.

## §. 111.

Id quod extra potestatem nostram est, non est actio libera (§. 47.), non legi obnoxium (§. 83.), non factum morale (§. 105.). Leges itaque non aliam requirunt facti rectitudinem nisi vincibilem (§. 110.): ut adeo defectus rectitudinis inuincibilis sit extra sphæram moralem.

## §. 112.

Defectus rectitudinis facti moralis vincibilis dicitur REATVS, aliis C<sup>V</sup>LPA in genere. Vnde et defectus eiusmodi inuincibilis appellatur F A-  
CTVM INCVLPATVM.

## §. 113.

DELIBERATIO seu CONSULTATIO est actus intellectus, quo disquirit, an vel quo modo agendum.

## §. 114.

Qui agit ex deliberatione seu *deliberato*, ille  
 1) intelligit actionem, quam suscipit vel  
 omittit,  
 2) agit ex motiuis.

Vtrumque alii ita exprimunt: *agit sciens et volens*.

## §. 115.

Reatus deliberatus vocatur **DOLVS**, inde-  
 liberatus **CVLPA** seu **CVLPA in specie**.

## §. 116.

Differt igitur maximopere dolosus a cul-  
 poso.

Dolosus violat legem moralem sciens et vo-  
 lens (§. 114.): ideoque, dum agit contra le-  
 gem, simul vult agere contra legem.

Culposus violat legem; sed in ipso actu  
 non vult agere contra legem (§. 115.). Nihil  
 ominus factum culposum est actio libera (§.  
 31. et 57.).

## §. 117.

Culpam inuoluit omnis defectus rectitudi-  
 nis facti moralis

1) ex ignorantia vincibili,

2) ex

- 2) ex errore vincibili,
- 3) ex incogitantia, imprudentia, praecipitantia, incuria,
- 4) ex statu imperfecto, qui ex statu consequenter morali enatus est (§. 77.), denique
- 5) omnis facti, in quo arbitrium cooperatur (§. 35.): quatenus rectitudinem eius facti assenti fuit in potestate agentis (§. 111.).

### §. 118.

Itaque ignorantia et error sive facti sive legis (iuris), quatenus est vincibilis, nocet; quatenus invincibilis, non nocet (§. 111.).

### §. 119.

Circa leges prohibitiwas omnis reatus, consequenter et dolus et culpa consistit in committendo: circa praceptiuas in omittendo (§. 108.). Haec differentia vterius nunc uestiganda.

### §. 120.

**F**INEM vocant obiectum, propter quod, ut existat, vel non existat, voluntas agit: representatio autem finis in mente dicitur **I**NVENTIO.

## §. 121.

REMEDIVM est caussa finis.

Hinc remedium ad finem obtainendum est necessarium.

## §. 122.

IMPEDIMENTVM est id, quod contradicit usui remediorum.

Hinc remotio impedimenti ad finem consequendum est necessaria.

1. Datur *impedimentum absolutum, naturale seu physicum*, datur etiam *mora*le (§. 109.).

## §. 123.

OCCASIO est euentus, per quem finis sit possibilis.

Itaque et occasio ad finem obtainendum necessaria.

## §. 124.

Qui obligatur ad finem, obligatur

1) ad usum remediorum naturaliter et moraliter possibilium,

2) ad usum occasionis, et

3) ad remotionem impedimentorum, quae naturaliter et moraliter superari possunt (§. 86.

III. et 109.).

## §. 125.

VOLVNTAS dicitur EFFICAX seu SERIA  
seu

seū vno verbo PROPOSITVM, quae exsequitur ea, quae ad finem obtinendum sunt necessaria : fin minus ; vocatur INEFFICAX seu NVDA.

1. Voluntas efficax declaratur, sicubi aliquis, quantum in potestate sua est, adhibet remedia, remouet impedimenta, utitur occasione (§. 121. 122. 123.).

2. Hinc clarum est, *dolose* agentem habere intentionem directam et propositum violandi legem ; culpose agentem minus (§. 115. et 116.).

### §. 126.

Efficax voluntas appellatur EFFICIENS, quae finem obtinet : INEFFICIENS, quae finem haud obtinet.

Omnis voluntas efficax fit efficiens ; nisi obstat impedimentum (§. 121. et 122.)

### §. 127.

Leges praeceptuæ obligant ad actionem committendam : ideoque requirunt in agente non voluntatem tantummodo ; sed simul voluntatem efficacem (§. 125.)

### §. 128.

Vltra id, quod naturaliter et moraliter possibile est, nemo obligatur (§. 111. et 109.).

Hinc leges morales non requirunt voluntatem efficientem, nisi quatenus id efficere est

- 1) in potestate agentis, et
- 2) moraliter possibile.

### §. 129.

Vsus virium in explenda lege vocatur DILIGENTIA.

Leges itaque praeceptiuae requirunt diligentiam (§. 127.).

1. Dantur vires corporis, animae et status externi: in harum omnium vsu occupata est diligentia.

### §. 130.

DILIGENTIA, quatenus legi est conformis, dicitur DEBITA seu LEGITIMA.

Praestatur igitur diligentia debita, sicuti vsus virium ab arbitrio pendentium et moraliter possibilium ad explendam legem adhibetur (§. 128.).

### §. 131.

Vsus virium vel fini obtinendo est proportionatus, vel minus: et posterior fine suo aut maior est, aut minor. Hinc et diligentia debita legi praeceptiuae vel est proportionata, vel ea maior aut minor.

### §. 132.

## §. 132.

Qui maiorem pro debita diligentiam adhibet; **V L T R A D E B I T V M** agit: qui minorem; **I N F R A D E B I T V M** agit.

Leges praeceptiuae nihil poscunt nisi diligentiam, quae continet usum virium possibilium legibusque explendis proportionatum (§. 130.).

## §. 133.

Qui non vtitur viribus possibilibus in exemplanda lege, dicitur **O M I T T E R E D I L I G E N T I A M D E B I T A M**, et haec omissio vocatur **N E G L I G E N T I A**.

**V**hus virium contra legem dicitur **A B U S V S V I R I V M**.

## §. 134.

Omnis actio infra debitum, omnis negligencia et abusus virium continent reatum (§. 112.), ideoque vel culpam vel dolum (§. 115.).

## §. 135.

Leges praeceptiuae obligant ad factum commissuum (§. 108.). Ergo per se requirunt voluntatem efficacem (§. 127.) et diligentiam debitam (§. 130.).

## §. 136.

## §. 136.

Contra leges prohibitiae, contentae nuda omissione (§. 109.), per se non obligant ad voluntatem efficacem et diligentiam. Quodsi itaque casu dato eam exposcant; exposcunt accidentaliter dumtaxat.

## §. 137.

Iam descendamus ad imputationem. IMPVTO sensu generalissimo, dum alicui tribuo factum eiusue consectorium. Factum est vel morale vel non morale (§. 105.). Hinc IMPVTO aliquid vel MORALITER vel NON MORALITER.

## §. 138.

Quod ad imputationem moralem attinet, notandum, consectorium facti moralis dici in genere MERITVM, et quidem si bonum est; MERITVM IN SPECIE seu PRAEMIVM: si malum est; DEMERITVM seu POENAM.

## §. 139.

Est itaque IMPVTATIO MORALIS iudicium, quo alicui factum morale eiusue meritum tribuitur.

Si vtrumque simul tribuitur; imputatio dicitur

citur PLENA : si alterutrum dumtaxat ; MINUS PLENA appellatur.

Minus plena est vel FACTI vel LEGIS seu IURIS IMPUTATIO : prouti alicui tribuo aut factum morale tantummodo , aut meritum sui facti moralis.

1. Legis tamen imputatio semper supponit imputationem facti , nec nisi idealiter ab hac separari potest.

2. Imputatio iuris continet iudicium de praemio vel poena (§. 138.) , de honestate vel prouitate seu de moralitate facti (§. 58.).

3. *Imputatio in sequentibus simpliciter posita indigitat imputationem moralem plenam , quae est imputatio per excellentiam.*

### §. 140.

Imputatio plena formatur ratiocinio , cuius maior propositio est lex , minor factum morale : ipsa imputatio est conclusio .

1. Hinc imputatio plena dicitur applicatio legis ad factum .

### §. 141.

Requisita igitur imputationis plenae sunt eadem cum requisitis syllogismi .

### §. 142.

Quamobrem , ut quis recte instituat imputationem plenam ; necesse est , ut syllogismus imputato-

putatorius sit regulis logices conueniens seu verus, et quoad *materiam* seu principia, et quoad *formam* seu modum concludendi.

### §. 143.

Materia syllogismi imputatorii est

- 1) factum morale seu propositio minor,
- 2) lex seu propositio maior.

### §. 144.

Quo factum morale sit verum; requiritur, ut

- 1) aliquid factum sit siue omissiue siue commissiue (§. 107.),
- 2) ab eo, cui tribuitur, factum sit,
- 3) ab eo tamquam auctore, seu ut ei tribui possit tamquam actio libera (§. 105.).

### §. 145.

In specie de auctore facti quaedam monenda.

*Quatenus* causa facti moralis in arbitrio alienius sita est: eatenus ei factum morale est imputabile. Voluntas igitur, id est arbitrium est id, in quo nititur omnis imputatio. Hinc

- 1) si adest factum, et deficit eius voluntas: cessat imputabilitas,
- 2) si adest voluntas ad quid moraliter faciendum, et deficit factum ipsum: adest imputabilitas, a),
- 3) facta

3) facta ex statu imperfecto proficiscentia, defectus corporis animique, facta in ebrietate, in somno, facta ex prauo habitu cet. eatenus sunt imputabilia: quatenus per agentem stetit, quo minus in hunc statum imperfectum perueniret (§. 74. et 77.).

a) Vnde brocardica :

Non quod quis egit; sed quod agere voluit, ei imputatur.

Mens peccat non corpus.

### §. 146.

*Quotuplici* quis modo auctor facti esse potest: totuplici modo ei factum est imputabile.

Auctor facti moralis dicitur quoque eius CAVSSA. Datur causa facti PHYSICA seu IMMEDIATE; si quis ipse peragit: MORALIS seu MEDIATA; si quis alium ad agendum determinat. Datur porro SOLITARIA; si quis solus: SOCIA; si quis simul cum aliis factum perpetravit. Vnde nascuntur CONCAVSSAE, si plures sunt eiusdem facti moralis auctores.

1. *Causa moralis* multiplici modo existere potest. Vnde noti Hexametri :

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

2. Hinc

2) Hinc simul decisio petenda, quatenus  
FACTVM MORALE ALIENVM alicui sit im-  
putabile.

### §. 147.

Quo lex sit vera; requiritur, vt tamquam lex  
existat.

### §. 148.

Quo forma vera sit; requiritur, vt factum  
morale sit casus legis, id est vt contineatur sub  
lege tum quoad factum, tum quoad facti auto-  
rem.

### §. 149.

Horum requisitorum si vnum deficit, ruit  
omnis imputatio plena (§. 142.).

### §. 150.

Vnde, quotuplici modo negari seu dilui  
imputatio plena possit; simul, quantum satis  
est, intelligitur.

### §. 151.

Factum rectum (§. 110.), voluntas efficax  
(§. 127.) et efficiens (§. 128.), item diligentia  
debita intuitu legis praeceptiuae (§. 135.) et  
actio ultra debitum (§. 132.) moraliter imputabiles  
sunt in praemium (§. 138.).

### §. 152.

## §. 152.

Reatus, culpa, dolus, et quod attinet ad leges praeceptivas, defectus voluntatis efficacis, actio infra debitum, negligentia, abusus virium moraliter imputabiles sunt in poenam (§. 134.).

## §. 153.

Dantur gradus in imputatione, ita ut aliud factum morale quoad imputabilitatem sit maius, aliud minus (§. 91. et 92.).

## §. 154.

Quicumque factorum moralium capax est, ei aliquid imputari potest (§. 139.): dantur itaque facta hominis, quae ei sunt imputabilia, seu quae imputabilitatem admittunt (§. 93.).





PRAECOGNITORVM IVRIS NATVRAE  
CAPVT IV.

D E

OBLIGATIONE ET LEGE  
PERFECTA.

§. 155.

**F**ACVLTAS dicitur possilitas agendi respectiue sumta: et facultas libere agendi, quantum legi morali est conformis, vocatur MORALIS.

§. 156.

Nemo obligatur ad id, quod per vires arbitrii vel moraliter est impossibile (§. 111. et 109.). Itaque omnis obligatio coniuncta est

1) cum possilitate libere agendi respectiue sumta, id est FACVLTA TE libere agendi;  
2) et quidem legibus moralibus conformi, id est FACVLTA TE MORALI.

Ergo qui obligatur ad aliquid, ad idem habet facultatem moralem. Id quod exprime-re alii solent: *omni obligationi respondet in eodem subiecto facultas moralis,*

i. Ergo

1. Ergo ubi non datur facultas moralis, ibi nec datur obligatio.

### §. 157.

Facultas moralis cogendi (§. 50.) alterum vocatur ius (*subiective seu pro qualitate personae sumtum*).

### §. 158.

Si quis obligatur ad aliquid committendum vel omittendum intuitu alterius, et obligationi non satisfacit: huic aut competit ius exigendi ab illo, ut obligationi satisfaciat; ant non competit. Vnde duplicis generis enascitur obligatio: vel enim cum iure alterius est coniuncta, vel minus. Illa dicitur OBLIGATIO PERFECTA, haec IMPERFECTA.

1. In posterum Obligatio perfecta nobis dicetur *per excellentiam obligatio*.

2. Ius seu facultatem cogendi tamquam moralem, seu legi conuenientem, non aliam hic cogitamus; quam eam, quae datur obliganti in eo casu, quo obligatus suae non steterit obligationi, id est tamquam *eventuale* quid, quod in serie meditationum nostrarum sequenti fiet clarius.

### §. 159.

Quotuplex obligatio, totuplex est lex (§. 94.). Lex igitur moralis vel perfectam continet vel imperfectam obligationem. Illa

dicitur ipsa LEX PERFECTA, haec IMPERFECTA.

§. 160.

Est igitur LEX MORALIS PERFECTA seu LEX per excellentiam, secundum quam diligere actiones nostras ita obligamur, ut nisi obligationi nostrae satisfecerimus; alteri competit facultas moralis nos cogendi, ut satisfaciamus.

1. Legis *virtus* necessaria et *vnica*: obligare perfecte, seu obligare per comminationem coactionis, per comminationem mali.

2. Nunc missis legibus moralibus solus in posterum nobis sermo de legibus moralibus perfectis, ita ut sub voce LEGVM non alias nisi morales perfectas intelligamus.

§. 161.

Lex itaque supponit duo subiecta: alterum quod obligatur, alterum quod obligat, seu quod ius habet (§. 160.).

§. 162.

Hinc tuto adseritur, quod omni obligatiōne meae perfectae respondeat ius in altero, et vice versa (§. praec.).

§. 163.

Vt lex obliget; requiritur, ut tamquam lex cognosci possit (§. 82.).

I. Ceterum, quaecumque de obligatione morali et lege morali eiuncta dedimus (§. 82.-87. et §. 96.) ; applicari ad legem perfectam plene possunt : quum omnia, quae dicuntur de genere, et eius speciei competant.

### §. 164.

Legum eiusdem generis complexus appellatus **IUS**, aliquibus **IVRIS PRUDENTIA** (introque *objectione* sumtum).

Ergo **IUS** est complexus iurium atque obligationum (§. 161. et 162.).

### §. 165.

Si actio refertur ad legem perfectam ; vel ei est contraria, vel minus : illa dicitur **INVISTA**, haec **IVSTA ACTIO**.

### §. 166.

Ex notione legis moralis deriuatur officium (§. 101.) et imputationis (§. 139.) conceptus. Itaque ex speciebus legis moralis deducendae officii et imputationis species. Ergo **OFFICIVM** est vel **PERFECTVM** vel **IMPERFECTVM**: et **IMPVTATIO** vel est **PFRFECTA** vel **IMPERFECTA** (§. 159.).

### §. 167.

In sphaera iuris omnis de actione morali quaestio eo redit, vtrum sit contra legem per-

fectam, nec ne. Vnde quaenam actiones in iure sint licitae, permissae, indifferentes constat (§. 101.).

Actio iuridice licita vocatur etiam RES MERAE FACULTATIS.

### §. 168.

In iurisprudentia nullus reatus (§. 112.), nullus dolus, nec culpa (§. 115.), consequenter etiam neque error nec ignorantia vincibilis (§. 117.) sunt imputabiles: nisi quatenus continent factum contra legem perfectam (§. 167.).



PRAECOGNITORVM IVRIS NATVRAE  
CAPVT V.

DE

DISCRIMINE OFFICIORVM.

§. 169.

**O**bligatio et lex intuitu principii, vnde cognoscuntur, a se inuicem differunt.

Homo obligationem, quae actionibus suis moralibus inhaeret, ex natura sua et actionis cognoscere vel potest; vel nequit: illa dicitur **OBLIGATIONE NATURALIS**; haec **POSITIVA**.

Vnde nascitur diuisio **LEGIS IN NATURALEM ET POSITIVAM** (§. 94.).

1. Hinc etiam *officiorum, imputationis certi discrimen petendum* (§. 101. et 139.).

§. 170.

**OBLIGATIONE NATURALIS ET LEX NATURALIS** est vel **PERFECTA** vel **IMPERFECTA** (§. 158. et 159.).

1. Inquirendum in obligationem et leges perfectas naturales, et ex scientiis superioribus atque experientia in hunc finem quaedam praemittenda.

## §. 171.

Homini a natura inest conatus sese perficiendi (*per experientiam*).

## §. 172.

Conatum hunc sentit mediante et naturali stimulo et intellectu.

## §. 173.

Conatus hic tendit et ad conseruandas perfectiones et ad augendas (§. 171.).

## §. 174.

Hinc appetit bonum, et fertur ad felicitatem ; auersatur malum et horret interitum : vtrumque conatu et sensitu et rationali (§. 15. 17. et 172.).

## §. 175.

Porro experitur homo quotidie, actiones suas liberas habere conlectaria, alias bona; alias mala: ideoque actiones suas liberas cum conlectariis bonis vel malis esse connexas, vti causa est connexa cum effectu.

## §. 176.

In pluribus actionibus liberis conlectaria eorum praeuidere potest. Reperit itaque continuo connexionem motiuorum cum actionibus suis liberis, et necessitationem agendi vel non agendi moralem.

## §. 177.

## §. 177.

Itaque homo obligatur (§. 80.) ad actiones alias committendas, omittendas alias : obligatur nimirum ad actiones moraliter bonas committendas, et malas omittendas (§. 89.).

## §. 178.

PERFICE TE est itaque principium omnis obligationis, ideoque lex moralis generalissima (§. 8. et §. praec.), eademque naturalis (§. 172. et 176.).

## §. 179.

Tandem ex theologia naturali sequentia in mentem reuocanda. Homo per rationem cognoscere potest, existere *Deum*, eumque huius vniuersi esse creatorem, se eius creaturam.

## §. 180.

Deus est *ens omnipotens*: pollet itaque Deus facultate hominem cogendi, ut omnes actiones suas liberas dirigat ad summam eius voluntatem.

## §. 181.

Deus est *ens benignissimum*: nequit itaque velle hominis perniciem; sed vult eius necessario felicitatem. Igitur facultas Dei hominem cogendi, ut omnes actiones suas liberas dirigit.

gat ad summam eius voluntattm, est facultas obligationi hominis seu legi morali conformis (§. 178.), est facultas moralis (§. 155.).

Ideoque competit Deo ius in hominum actiones liberas omnes (§. 157.).

1. Idem ex *Iustitia* diuina luculentter patefcit. Deus ceu ens iustissimum nihil agere nisi summo iure potest. Itaque facultas Dei homines cogendi complectitur necessario ius, quod negari citra blasphemiam nequit.

### §. 182.

Ex hoc iure Dei in homines deriqatur hominum obligatio perfecta, actiones suas liberas ad voluntatem Diuinam attemperandi (§. 162.).

### §. 183.

Legum diuinarum finis vltimus ratione hominum est hominis ipsius felicitas (§. 181.). Inde earum summa est : *perfice te*, seu *cura felicitatem* (§. 178.).

### §. 184.

Quatenus haec lex diuina cognoscitur ex stimulis naturalibus, praesertim ex sensu morali, et ex dictamine rationis : eatenus est *lex naturalis* (§. 169.).

### §. 185.

Dantur itaque leges naturales, perfectae diuinæ (§. 182.). Ergo datur ius naturale diuinum (§. 164.).

### §. 186.

## §. 186.

Hoc ius naturale diuinum habet idem principium cum omni obligatione naturali (§. 183. et 173.). Ergo quousque haec patet: extenditur et illud. Hinc

1) omnes actiones liberae, quae faciunt ad nos felices reddendos, sunt officia perfecta (§. 169. et 183.) : contra quae tendunt in nostram infelicitatem, sunt actiones illicitae (§. 100. et 183.).

2) Homo ad virtutem Deo perfecte obstrin-  
gitur. *VIRTVS* enim quae consistit in habi-  
tu, leges naturales obseruandi, est medium fe-  
licitatis: et qui obligatur ad finem, obligatur  
ad remedia (§. 124.).

i. Si principia iuris publici vniuersalis hic  
praelibari possent: facile foret demonstratu, ius  
dei in homines esse *summum imperium*, de-  
um summum imperantem, omnes mortales  
simul subditos, leges naturales esse leges sum-  
mi imperantis, actiones hominum obligationi  
mortali naturali contrarias delicta cet.

Sed scopus noster ad ius naturale humanum  
progreedi nos monet.

## §. 187.

In philosophia morali demonstratur, augeri  
perfectiones nostras, dum praeter nos ipsos et  
alii ad nos perficiendos concurrunt: atque hos,  
qui concurrere possunt, esse Deum ipsum et ali-

os homines. Vnde ex lege summae morali naturali speciales effluunt leges morales naturales:

- 1) Perfice te ipsum,
- 2) Cole Deum,
- 3) Perfice alios homines.

### §. 188.

Hae leges speciales sunt subordinatae legi perfectae diuinæ summæ: perfice te. Ergo et ipsae sunt leges diuinæ perfectæ naturales.

### §. 189.

Ex his legibus nunc deducamus eam in specie, quae tribuit homini in hominem ius: quippe quae est principium iuris naturalis humani.

### §. 190.

Qui perficere sese ipsum studet, is et conservare et augere perfectiones suas allaborat (§. 173.).

### §. 191.

Consequenter ex lege naturali: *perfice te*, deriuatur lex:

- 1) Conserua tuas perfectiones, seu conserva te,
- 2) Auge tuas perfectiones.

### §. 192.

Missis reliquis legibus naturalibus in has postre-

Postremas figamus meditationem, atque id quidem ita, ut assumamus plures homines simul existentes, eosque ad se inuicem referamus.

### §. 193.

Ex obligatione naturali de se conseruando effluit facultas moralis ea omnia agendi, quae ad hunc finem obtainendum tamquam remedia faciunt (§. 156.): ideoque etiam facultas, remouendi conservationis impedimenta (§. 124. et 156.).

### §. 194.

Agere contra perfectiones alterius, seu age-re ita, ut alter reddatur imperfectior, dicitur eum. **TVRBARE** seu **LAEDERE**.

Qui itaque laedit, agit contra conseruatio-nem perfectionum alterius.

### §. 195.

Ponamus, alterum nos laedere: adest im-pedimentum conseruationis nostrae, ideoque facultas moralis nobis datur, id remouendi (§. 193.). Ponamus hanc facultatem eo vsque non protendi, ut alterum cogere possimus, quo abstineat a laesione: id contradiceret legi de nobis conseruandis (§. 191.). Ergo eius oppositum conuenit

uenit huic legi. Itaque est nobis facultas moralis cogendi alterum, ne nos laedat.

### §. 196.

Lex igitur: *conserua te* porrigit *ius contra quemlibet*, qui nos laedit (§. 157.).

### §. 197.

Haec facultas moralis cogendi demonstratur ex lege de se conseruando addita hypothesi: quod alter turbet nostram conseruationem. Ergo posita laesione alterius demum existit. Remoue hypothesin, tollitur facultas moralis cogendi. Ergo ex lege de se conseruando non alia effluit facultas cogendi nisi **HYPOTHETICA** seu **EVENTVALIS**.

Hinc omne ius hominis in hominem est facultas moralis cogendi alterum eventualiter.

i. Metaphysici facultatem eiusmodi eventualis appellant facultatem in *actu primo*, facultatem actualem vero facultatem in *actu secundo*.

### §. 198.

Qui alterum laedit, agit contra legem naturalem (§. 187.), ideoque contra obligacionem naturalem.

### §. 199.

Obligatio ad non laedendum alterum est obliga-

obligatio coniuncta cum iure alterius hominis (§. 195.), consequenter est obligatio perfecta hominis in hominem (§. 162.).

### §. 200.

Ex hac obligatione hominis in hominem derivatur lex: *Neminem laedas*, quae est lex dupli modo perfecta tum respectu Dei (§. 183. et 187.), tum respectu eius, qui laeditur (§. praec.).

i. LAESIO itaque est actio contra legem perfectam.

### §. 201.

Lex naturalis coniuncta cum iure hominis in hominem vocatur, in oppositione ad leges diuinias, **LEX HUMANA**: et complexus legum eiusmodi **IUS NATURALE HUMANUM**.

### §. 202.

*Neminem laedas*, est lex naturalis perfecta humana (§. 199.). Ergo dantur leges eiusmodi, datur ius naturale humanum.

### §. 203.

Ex obligatione de augendis suis perfectiōnibus derivatur obligatio curandi, vt alii nos perficiant. Augentur perfectiones meae respectu aliorum, dum alii ad me perficiendum concurrunt.

currunt. Hinc deriuatur lex naturalis : *cura, vt alii te perficiant.*

### §. 204.

Haec obligatio tribuit facultatem moralem efficiendi, *vt alii nos perficiant.* Quae facultas ad finem tribuit etiam facultatem, remouendi impedimenta (§. 124. et 156.).

### §. 205.

Quodsi alter me perficere nolit : adest impedimentum, adest facultas moralis illud remouendi.

Pone hanc facultatem moralem eo usque protendi, *vt alterum cogere possim :* pones facultatem moralem, mala alteri inferendi, (§. 50. et 10.), agendi contra conseruationem alterius; id quod contradicit iuri alterius (§. 200.) et obligationi meae perfectae (§. 198.). Igitur euidentissime patet, legem : *cura, vt alii te perficiant,* neutquam dare facultatem cogendi alterum, ideoque nec dare ius homini in hominem (§. 157.). Vnde sequitur *vt haec lex naturalis non sit lex perfecta hominis in hominem.*

### §. 206.

*Perficere alii me studebunt, dum ego illos persi-*

perficiendi studium demonstro (*per psychologiam*). Hinc ex lege naturali: *cura, vt alii te perficiant, nascitur lex : perfice alios.*

### §. 207.

*Perfice alios*, est lex subordinata legi: *cura, vt alii te perficiant.* Hinc: *perfice alios*, non est lex perfecta.

### §. 208.

Ex principio omnis obligationis naturalis: *perfice te*, deduximus propositionem: *neminem laedas*, quae est lex naturalis perfecta humana (§. 199.). Reliquae propositiones ex eodem principio deductae non sunt leges eiusmodi. Nam

- 1) *cole deum* (§. 187.), non habet respectum hominis in hominem,
- 2) *perfice te ipsum*, eodem respectu caret,
- 3) *cura vt alii te perficiant*, est tantum lex imperfecta (§. 205.).
- 4) *perfice alios*, itidem (§. 207.).

Ergo lex: *neminem laedas*, est inter omnes legis naturalis vniuersalis species vnica, quae est lex perfecta humana.

## §. 209.

Perfectio hominis est perfectio maxime composita. Hinc ex lege summa: *perfice te*, infinitas deduci posse leges subordinatas clarum est

## §. 210.

Fieri potest, vt perfectio vnius partis sit imperfectio partis alterius. Ex quo consequitur, vt, dum homo pluribus legibus adstrictus eas simul exsequi contendat; reperiat eas interdum sibi contradictentes seu *collidentes*.

## §. 211.

**COLLIDUNT** nimirum leges, quibus simul satisfacere est impossibile.

## §. 212.

In collisione legum dum altera expletur, alteri satisfieri nequit.

Non satisfacere legi vocatur eam **NEGLIGERE**.

Quamobrem in collisione legum, alterutra ut negligatur, necesse est.

## §. 213.

Neglectio legis quatenus cum altera collidit, vacatur **EXCEPTIO** a lege.

Itaque in collisione legum, vt fiat exceptio ab alterutra, necesse est.

## §. 214.

## §. 214.

Dantur perfectionum, boni et mali, obligationis, legum gradus (§. 91. et 98.).

Bonum minus in relatione ad maius est malum; et contra malum minus in relatione ad maius est bonum (§. 9.), seu generalius: perfectio minor in collisione cum perfectione maior est imperfectio: et contra imperfectio minor in collisione cum imperfectione maiore est perfectio.

## §. 215.

Ex his evincitur regula exceptionis in legum collisione.

Simil enim atque inter leges collidentes diversum reperitur quantum, ita ut altera sit maior, minor altera; sequitur conformiter legi summae: *perfice te, lex: neglige minorem legem, ut satisfiat maior.*

i. Quod alii exprimunt ita: *in collisione legum vincit maior, cedit minor.*

## §. 216.

Applicemus haec ad collisionem officii erga alterum perfecti cum officio erga alterum imperfecto.

Hoc casu collidit obligatio, cui inhaeret

facultas cogendi alterius, cum obligatione, quae eiusmodi facultatem cogendi alterius adiunctam non habet. Ista igitur obligatio est major; haec minor. Hinc in collisione eiusmodi lex summa iniungit legem: *neglige officium imperfectum, ut satisfiat perfecto.*

### §. 217.

*Ex lege morali naturali: conserua perfectiones tuas deriuatur lex: ne perdas perfectiones tuas.*

### §. 218.

Perdit quis perfectiones vel omnes, vel quasdam dumtaxat. Prior dicitur PERIRE, posterior IMPERFECTIOREM SE REDDERE *in sensu speciali.*

i. Qui perit, iacturam *conseruationis totalis* facit; *partialis* contra dumtaxat, qui imperfectiorem sese reddit.

### §. 219.

Lex moralis: *ne pereas*, continet obligatiōnem moralem negatiuam, quae connexum habet malum inter cetera omnia maximum (§. praeced.) Ergo haec lex: *ne pereas*, inter ceteras morales quascumque est maxima (§. 91.).

I. Iacturam vitae esse iacturam conseruationis totalis, et consequenter inuoluere interitum seu τὸ perire, heic loci per hypothesin adsumere licet; quando immortalitatem animae et vitam post mortem inter principia eius disciplinae, ad quam tractandam properamus, referre prohibemur: quum infra patefiet, ius naturale nullas agnoscere perfectiones nisi hominis viuentis.

§. 220.

Ergo et lex moralis naturalis: *ne pereas*, inter ceteras quascumque naturales est maxima.

§. 221.

Si collidit lex naturalis: *ne pereas*, cum lege naturali perfecta: prior ut maxima (§. praec.) vincit, posterior ut minor cedit. Itaque huius collisionis lex est naturalis: *neglige legem perfectam, ut ne pereas.*

Vnde concipitur lex naturalis: *neglige officium perfectum, ut consulas conseruationi totali.*

I. CICERO pro Milone: *omnis honesta ratio est expedienda salutis.*

§. 222.

Si collidit officium perfectum cum conseruatione hominis totali: oritur status hominis in collisione officii perfecti cum conseruatione sua totali constituti. Hic **S T A T U S** dicitur **EX-**

**T**RAORDINARIUS seu IRREGULARIS: cui opponitur status ab eiusmodi collisione vacuus, qui nuncupatur ORDINARIUS seu REGULARIS.

1. Status extraordinarius vocatur ab aliis *necessitas extrema, ultima, ineluctabilis necessitas, extremum periculum.*

2. Vnde brocardicum: *necessitas non habet legem.*

### §. 223.

**F**acultas moralis, negligendi officium perfectum ob conseruationem suam totalem, dicitur **FAVOR NECESSITATIS.**

### §. 224.

**I**taque inter huius collisionis sacrum atque faxum constituto homini competit fauor necessitatis (§. 221.)

### §. 225.

**F**auor necessitatis

- 1) non datur, nisi quatenus adest dicta **collisio,**
- 2) conuenit legi naturali summae (§. 178.), ergo est actio licita (§. 100.),
- 3) contrariatur legibus perfectis (§. 205.).
- 4) et appellari ius nequit (§. 157.),
- 5) nec

5) nec ex officio perfecto efficit imperf-  
etum (§. 205.)

1. In binis postremis thesibus contradicit  
GVNDLINGIVS.

### §. 226.

Collisio officii perfecti cum conseruatione  
totali est ratio, ex qua concipitur status ex-  
traordinarius. Hinc vocatur per excellentiam  
RATIO STATUS.

1. Officia erga Deum, erga nos et erga alios  
imperfecta in doctrina ethices exponuntur:  
his itaque praetermissis nunc ad iuris vniuersa-  
lis tractationem, quod solo officiorum erga alios  
perfectorum amplius continetur, accingimur.





# ELEMENTA IVRIS NATVRALIS.

## INTRODVCTIO

DE

# IVRE NATVRAE IN GENERE.

§. 227.

**C**onsiderauimus leges diuersi generis: *perfectas et imperfectas* (§. 159.), *diuinas et humanas* (§. 201.), *naturales et positivas* (§. 169.). Lex perfecta humana naturalis est **LEX NATVRALIS** sensu *specialissimo*, et huius-cemodi legum complexus est **IUS NATVRALE** (§. 201.).

§. 228.

*Ius naturale* est pars philosophiae practicae. Doctrina philosophiae, quo fiat certa atque indubitata; requirit, ut secundum rectam demonstrandi methodum proponatur. Hinc, ut philosophia tamquam genus definitur per scientiam: ius etiam naturale tamquam eius species per scientiam definiri debet. Est itaque *ius naturale* scientia legum perfectarum humanarum naturalium seu legum naturalium in sensu strictissimo.

§. 229.

## §. 229.

Factum, contra legem naturalem: *ne laedas* perpetratum, habet id consecutarium malum, vt porrigat laeso facultatem moralem, cogendi laudentem, (§. 195.). Hoc consecutarium existit (§. 197.). Eatenuis itaque obligatio naturalis, ius naturae existit.

## §. 230.

**PRINCIPIVM COGNOSCENDI** *disciplinae* cuius-dam est propositio, ex qua aliae propositiones eiusdem disciplinae concipi possunt.

## §. 231.

Vt propositiones ex principio quodam deductae sint verae; requiritur **principium cognoscendi verum**: vt sint indubitatae; requiritur **principium cognoscendi indubitatum seu evidens**, id est quod vltiori probatione non eget.

## §. 232.

**PRINCIPIVM ADAEQVATVM** alicuius disciplinae est principium cognoscendi, ex quo nec plures nec pauciores ptopositiones demonstrari possunt, quam quae in eadem disciplina continentur.

## §. 233.

PRINCIPIVM alicuius disciplinae VNI-  
VERSAL E est principium cognoscendi, ex  
quo omnes eiusdem disciplinae propositiones  
demonstrari possunt.

Ergo principium adaequatum debet esse vni-  
uersale (§. 232.).

I. Principium vniuersale debet esse *unicum*.  
Ponamus enim eiusdem disciplinae plura prin-  
cipia vniuersalia : tum haec plura aut nexum  
inter se habent, aut minus. Si prius ; resol-  
ui possunt in *unicum* : si posterius ; erunt  
sibi contraria, ideoque neutrum erit vniuer-  
sale.

## §. 234.

PRICIPIVM PRIMVM alicuius disciplinae  
est principium cognoscendi, quod ex alio eius-  
dem disciplinae principio demonstrari nequit.

Ergo principium vniuersale debet esse pri-  
mum. Pone, non esse primum ; ponas necesse  
est, eiusdem disciplinae principium vniuersalius.  
Ergo, nisi aliquod principium sit primum, nec  
erit vniuersale.

## §. 235.

PRINCIPIVM alicuius disciplinae DOMESTICVM  
est principium cognoscendi, ex quo  
non

non plures, quam quae in eadem disciplina obueniunt, demonstrari possunt propositiones.

Quare principium adaequatum debet esse eiusdem disciplinae principium domesticum (§. 232.).

### §. 236.

Principium vniuersale (§. 233.) et domesticum (§. 235.) iunctim sumtae efficiunt eiusdem disciplinae principium adaequatum (§. 232.).

### §. 237.

Ius naturae est scientia (§. 228.), ideoque admittit principium cognoscendi (§. 230.).

### §. 238.

Propositio : *neminem laedas* (§. 200.) est iuris naturalis principium cognoscendi verum et eidens (§. 231. et 227.).

### §. 239.

Eadem propositio est iuris naturalis principium vniuersale et domesticum (§. 208.).

### §. 240.

Ergo extra omnem est dubitationem, propositionem : *neminem laedas*, esse principium iuris naturalis adaequatum (§. 236.).

### §. 241.

## §. 241.

SVVM alicuius vocatur id, in quod alicuius est. Suo opponitur ALIENVM, quod est suum alterius.

Itaque : *suum cuique reliisque seu tribue, et abstine ab alieno* sunt leges naturales (§. 229.).

i. Ex quo colligitur, quatenus et illud principium: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ad legum naturalium numerum sit referendum.

## §. 242.

Malum alicui ortum ex laesione alterius, est DAMNUM. Ex omni laesione oritur laesio damnum (§. 194.).

Quapropter : *Nemini damnum infer est lex naturalis* (§. 241.).

i. In iure Romano ciuili latiori sensu accipiatur *damnum* pro omni scilicet detimento alicuius, unde alteri lucrum accessit. Ex nostro significatu vera iuris vniuersalis regula : *Nemo locupletior fieri debet cum danno alterius.*

## §. 243.

Qui legem naturalem violat, est INIVSTVS; qui minus, nuncupatur IVSTVS (§. 165.).

INIVSTITIA ACTIONIS est ea actionis affectio, quatenus legi contradicit; INIVSTITIA PERSONAE ea personae affectio, quatenus

tenus legem violat. Vnde, quid *iustitia actionis et personae* sit, patet.

1. In sphaera igitur iuris iustitia personae non requirit *habitum obseruandi* seu conformiter agendi legibus. Quum itaque *virtus* consistat in habitu leges morales obseruandi (§. 186.): sequitur, vt iustitia heic loci non consideretur vt virtus, nec exigat virtutem; licet sinec eam excludat.

2. *Iustitia*, sumta pro observantia legum erga alios, et eius in *attributricem* atque *expletricem* diuisio, nullius in iure usus.

### §. 244.

Quamobrem: ne sis iniustus, seu cole iustitiam est lex naturalis (§. 243.).

### §. 245.

Ne agas contra perfectiones alterius (§. 194.), neminem laedas (§. 195.),

ne agas contra ius alterius (§. 196.),

ne agas contra obligationem naturalem (§. 198.),

ne agas contra legem naturalem (§. eod.),

suum cuique tribue (§. 241.).

Abstine ab alieno (§. eod.).

Nemini damnum infer (§. 242.).

Ne sis iniustus (§. 244.).

Cole iustitiam (§. eod.):

sunt

funt leges eiusdem generis et aequalis extensionis, hinc sibi inuicem substitui possunt.

I. Inspergatur succincta aliorum iuris naturalis principiorum enarratio et epicrisis. Confer *Glaevey's Recht der Vernunft*, I. Buch, 3. Cap.

### §. 246.

Ius naturale non complectitur nisi leges naturales seu perfectas humanas naturales (§. 227.). Ex qua legum determinatione etiam notio *obligationis*, *imputationis*, *officii* cet. naturalis determinatur.

### §. 247.

Itaque reliquae leges omnes morales, facultates agendi morales, obligatio moralis, imputatio moralis, officia moralia, actiones morales extra sphæram iuris naturalis sunt constitutae.

I. In hoc sita est iuris naturalis nota characteristicā, qua et a *philosophia practica*, quae iuris naturalis est genus, et ab *ethica*, *oeconomica* atque *politica*, quae iuris naturae sunt conspecies, distinguitur.

### §. 248.

In iure naturae omnis de actione quaestio eo redit, vtrum sit contra obligationem naturalē, nec ne. Quatenus contra obligationem naturalē esse reperitur, eatenus alteri facultas oritur cogendi, ideoque mala inferendi. Ad hoc unicum actionis consecūtariū in iure naturae attenditū. An alia vel bona vel mala consecūtaria

ria habeat actio, non inquiritur. Hinc quae-  
cumque actiones non sunt *iniustae*, eae omnes  
iudicantur in foro iuris naturalis esse *non malae*,  
et hoc sensu appellantur *iustae*, aut, si maiis,  
*indifferentes et res merae facultatis*.

1. Ius naturale itaque caret praemiis; nec  
aliud nouit actionis consecutarium nisi demer-  
tum seu poenam naturalem: ceteris vero actioni-  
bus non tribuit nisi immunitatem a poena  
seu IMPVNITATEM.

2. Proinde imputatio iuris naturalis, qua  
tribuitur alicui factum iustum, caret effectu.

### §. 249.

Ius naturale ambit omnes actiones tum spon-  
taneas tum liberas. Lex enim: *conseruate con-  
tra alterum*, simpliciter dat ius contra quem-  
cumque, qui turbat (§. 196.). Ergo et ius  
contra eum, qui turbat actione non libera, vt  
infans, mente captus, brutum. Quicumque  
coactionis est patiens, si turbat conseruationem  
hominis; iure cogitur. Hinc omnes, qui e-  
dere actiones spontaneas possunt, legi perfectae,  
obligationi perfectae subsunt.

1. Hinc omni iuri respondet quidem obli-  
gatio perfecta; sed non respondet omni iuri  
obligatio moralis.

### §. 250.

**EXCLVDERE** aliquem est efficere, vt al-  
ter actionem quamdam circa aliquod obiectum  
non committat.

Ius

Ius excludendi alterum ab actu circa suum  
vocatur PROPRIETAS.

Id, in quod alicui competit proprietas; dici-  
tur PROPRIUM: et is, cui competit pro-  
prietas; PROPRIETARIVS.

### §. 251.

In omne suum competit facultas cogendi  
alterum, ut ab eo abstineat (§. 241.): ideoque  
omne suum continet proprietatem, et est pro-  
prium, seu in omne suum est ius cum exclusio-  
ne aliorum (§. praec.).

### §. 252.

Suum proprium est vel alicui soli vel plu-  
ribus simul. Illud vocatur PROPRIUM *in spe-  
cie*, hoc dicitur COMMUNE.

COMMUNIO itaque est proprietas pluri-  
bus simul competens.

### §. 253.

Omnis LAESIO est contra obligationem vel  
moralem vel non-moralem (§. 249.). Illa di-  
citur MORALIS, seu uno verbo *iniuria*; haec  
NON-MORALIS.

Omnis laesio moralis continet reatum (§.  
112.): ideoque est vel CULPOSA vel DO-  
LOSA (§. 115.).

### §. 254.

## §. 254.

Porro omnis LAESIO est contra legem vel prohibitiuam vel praeceptiuam: illa est COMMISSIVA, haec OMMISSIVA (§. 44.).

## §. 255.

Quum vero omne DAMNUM ex laesione deriuetur (§. 242.): simul in aprico est, damnum esse

1) vel MORALE, quod et vocatur DAMNUM INVRIA DATVM; vel NON-MORALE: et damnum morale iterum in CULPOSVM dispesci et DOLOSVM.

2) vel damnum COMMISSIONIS, vel OMISSIONIS (§. praec.).

## §. 256.

Omni obligationi morali respondet in eodem subiecto facultas moralis (§. 156.). Hinc omni quoque obligationi morali perfectae respondet in eodem subiecto ius.

I. Quam propositionem non esse conuertibilem per se patet.

## §. 257.

In iure naturae nullum factum morale, nisi quod sub lege perfecta continetur, nullus reatus, culpa, dolus, nulla negligentia, nulla dilige-

gentiae omissione, nec error atque ignorantia vin-  
cibilis, nisi quatenus laesione continent, sunt  
imputabiles (§. 248.).

### §. 258.

Finis itaque totius iuris naturae in eo est  
positus, ut quilibet contra laesiones alterius  
se se furtum seruet atque in columem (§. 194.).  
Ultra conseruationem non adspirat. Haec au-  
tem conseruatio infinitis a felicitate distat para-  
fangis. Felicitatem igitur ius omne plane  
ignorat.

### §. 259.

Datur itaque ius naturae, ad cuius sancta  
actiones suas dirigere omnes homines obligan-  
tur (§. 229.).

1. Ius naturae *per rationem* hominibus in-  
notescit. Quilibet igitur homo illud per se  
ipsum cognoscere potest. Itaque obligat ius  
naturae; licet promulgatum non sit. PRO-  
Mulgatio enim inuoluit actum, quo lex,  
subiecto obligando incognita, ei cognita red-  
ditur.

### §. 260.

Contra laedentem datur laeso facultas mo-  
ralis cogendi. Haec propositio est vniuersali-  
ter vera (§. 196.). Ergo contra quemcumque  
laedentem, quotiescumque laedit, datur cui-  
cumque laeso facultas moralis cogendi.

### §. 261.

## §. 261.

Quatenus contra omnem laudentem semper datur omni laeso idem ius : eatenus obligatio naturalis semper est eadem, leges naturales semper eadem, ius naturale semper idem. Et hoc sensu ius naturae dicitur *immutabile et aeternum*.

1. In collisione officii perfecti cum conservazione totali, illud negligere, ut conservatio totali consulatur, licet (§. 221. et 222.). Hoc casu ius naturae non immutatur. Actio enim quae ex falso necessitatis expeditur, non est actio iusta ; quin potius manet iniusta et laesio (§. 225.), sed laesio non-moralis (§. 253.). Hinc mala ex ejusmodi actione alteri orta sunt imputabilia (§. 257.), et continent damnum (§. 242.), sed damnum citra iniuriam (§. 255.).

## §. 262.

Summa legum naturalium est : *Neminem laedas : si laeseris ; cogitor.* Prior propositio continet suum, posterior facultatem cogendi actualem. Hinc omnis tractatio iuris uniuersalis reddit ad duo capita : alterum, quo *suum* ; alterum, quo consideratur facultas cogendi seu *ius*.

In priori parte *suum* cogitatur *ante et citra laesionem* : in posteriori *suum* cogitatur *laesum* seu in *laesione*.

## §. 263.

Iam pedem ad specialia proferamus. Considerari homo potest vel *extra societatem*, vel *in societate*, ideoque in *statu* vel *sociali*, vel *extra sociali* seu *solitario* seu *naturali*.

Hinc iuris naturalis diuisio in *ius naturae in specie* seu *ius mere naturale*, et in *ius sociale*.

## §. 264.

In *statu naturali* reperimus, duplicitis generis esse suum hominis:

1) aliud, quod absque facto suo ideoque a sola natura tenet;

2) aliud, quod accidente facto suo tenet.  
Illud dicitur **S V V M C O N N A T U M**, hoc ad-  
**Q V I S I T U M**.

## §. 265.

Vnde *ius mere naturale* in tres abit partes: quarum *prima* tradit suum connatum, et vocatur **I U S N A T U R A L E A B S O L V T U M**,

*altera* docet suum acquisitum, et nuncupatur **I U S N A T U R A L E H Y P O T H E T I C U M**, ac denique

*tertia* explicat suum mere naturale laesum (§. 262.), seu *modum ius mere naturale prosequendi*, et dicitur **P R O C E S S U S I V R I S N A T U R A L I S**.

**I V R I S**



## IVRIS NATVRALIS

### LIBER I.

#### IVS NATVRAE IN SPECIE

SE V

#### IVS MERE NATVRALE.

##### CAPVT I.

#### IVS NATVRALE ABSOLV- TVM.

§. 266.

**H**ominem benigna mater natura instruxit  
VITA, hoc est corpore et anima in vnione.  
Corpus variis dotauit membris, animam diuersis  
facultatibus.

Haec omnia constituunt hominis perfectio-  
nem, quam vt conseruet, ei ius est: conse-  
quenter haec pertinent ad hominis suum con-  
natum (§. 264.).

§. 267.

Homo praeterea infinitis *actionibus* edendis  
a natura adaptatus est, quas vsu membrorum  
corporis atque exercitio facultatum animae actu

edit, quibusque sese continuo perficere innumeris modis valet.

Itaque et actiones hominis sunt in complexu perfectionum eius, quas ut conseruet, ei ius est, et quae ea propter pertinent ad eius suum connatum (§. 264.).

### §. 268.

Non vero ius est homini, agendi contra conseruationem alterius (§. 198.). Ergo usus membrorum corporis et facultatum animae, et in genere actiones hominis eatenus dumtaxat sunt suum hominis, quatenus legibus perfectis non repugnant, quatenus non sunt iniustae (§. 243.).

Consequenter iustae dumtaxat hominis actiones sunt eius suum connatum (§. eod.).

1. Actio, qua facultatem cegendi exerceo, ante laesionem est iniusta. Itaque facultas cogendi moralis actualis seu ius actualis non pertinet ad suum connatum.

2. Posita alterius laesione nascitur facultas cogendi moralis actualis. Hoc itaque casu actio, qua facultatem cogendi exerceo, est actio iusta, ideoque suum. Inde est, quod ius ipsum, pro actione eiusmodi sumptum, vocetur suum.

### §. 269.

Ex hoc hominis in vitam et actiones iustas iuste sequitur,

I) vt

- 1) vt quilibet obligatus sit, tum
  - a) ad non laedendam vitam alterius, ex gr. interficiendo, membra mutilando, cet.
  - b) tum ad non turbandum alterum in actionibus suis iustis: ideoque
- 2) vt nemini ius sit in vitam neque actiones alterius iustas (§. 251.).

## §. 270.

Qui ius in actionem quamdam habet, EXERCET IUS, dum eum actum committit, in quem committendum; vel omittit, in quem committendum ius habet. Ergo

- 1) qui ius suum exercet, seu iure suo vititur, nemini facit iniuriam (§. 253.), et
- 2) ius in actionem absque iure in exercitium eius actionis cogitari nequit.

## §. 271.

Exercitium iuris dicitur etiam eius POSSESSIO, et in specie is vocatur esse in possessione iuris, qui est in exercitio iuris citra aliorum turbationem.

Hinc nemo in possessione iuris sui est turbandus.

## §. 272.

Quidquid iuris aut obligationis in statu naturali absoluto homini tribuitur : id omne ei tribuitur qua tali, consequenter omnibus et singulis hominibus, in hoc statu constitutis, est tribuendum.

## §. 273.

Itaque in statu naturali absoluto omnium hominum ius atque obligatio est plane eadem : seu status naturalis absolutus est status *identitatis iurium atque obligationum*.

i. Quo igitur iure quis vti vult in me, eodem et mihi in illum vti fas est. Vnde natura iuris regula: *quod quisque iuris in alium statuerit, vt ipse eodem iure vtatur.*

## §. 274.

*Imperium*, quod continet ius dirigendi actiones socii, vti infra patebit, extra societatem ne fingi quidem potest. Quidquid igitur imperium esse constitutum supponit, illud in omni statu naturali prorsus exulat.

Huc refertur *superior*, qui imperio pollet; *inferior* seu *subiectus*, qui imperio subest; et *subiectio*, id est status sub imperio alterius.

## §. 275.

## §. 275.

Quatenus quis altero nec est superior, nec inferior; eatenus eidem dicitur esse AEQVALIS: et status eiusmodi hominum nuncupatur **S T A T U S A E Q V A L I T A T I S.**

## §. 276.

In statu naturali non datur imperium, non subiectio, nec alter altero est aut superior aut inferior (§. 273.). Itaque status naturalis est status aequalitatis (§. praced.).

Proinde

- 1) imperium in alterum non adfectes,
- 2) aequalitatem alterius non violes.

1. Quum idea *iussi*, *iurisdictionis*, *iudicis*, *sententiae*, *poenae* in sensu speciali contineant ideam superioris: sequitur, ut status naturalis haec omnia ignoret.

## §. 277.

Quatenus quis non subest imperio alterius, dicitur *independens ab imperio*: et huius independentiae status vocatur **L I B E R T A S N A T V R A L I S** (*ab imperio seu respectu imperii*).

Haec ubi in omnibus actionibus obtinet; **P L E N A**: ubi in quibusdam dumtaxat; **M I N V S P L E N A** vocatur. Itaque

- 1) status naturalis est status plenae libertatis naturalis, et
- 2) quilibet in statu naturali constitutus gaudet iure libertatis naturalis plenae (§. praec.).

### §. 278.

Libertas naturalis est ius in actiones suas (§. 267.). Ius in actiones non extenditur, nisi in actiones iustas (§. 268.). Ergo libertas naturalis plenaria non est licentia.

LICENTIAE enim status est is, quo quis agit, ac si nulla lege naturali teneretur.

Itaque nemini a natura competit licentia (§. 268.).

### §. 279.

Ob hanc libertatem naturalem actiones hominis in statu naturali sunt independentes a voluntate alterius cuiuscumque, nec is in agendo dependet nisi a se ipso (§. 277.). Hinc

1) homini tali ius est, in determinandis actionibus suis suum sequendi iudicium : et reliquis incumbit obligatio, standi iudicio agentis, quoad eos non laedat,

2) nec ulli hominum rationem reddere tenetur, cur hoc faciat vel non faciat : dummodi  
tibi

tibi nihil faciat, ad quod non faciendum tibi perfecte obligatur.

### §. 280.

Omnis actio est iusta, qua nemo laeditur (§. 243.), et in omnem actionem iustam a natura ius est (§. 268.). Ergo ius est, *circa suum omnes* pro lubitu actus suscipiendi, quibus nemo laeditur.

### §. 281.

Itaque

- 1) Meum manet meum, donec volo,
- 2) Meum cessat esse meum, dum volo (§. praec.).

### §. 282.

Cuilibet ius est sese perficiendi, quatenus nemo laeditur (§. 268.): ergo et perficiendi sese ex suo, seu omnem ex suo utilitatem capiendo.

### §. 283.

Cuilibet ius est, augendi perfectiones suas, quatenus nemo laeditur: ergo ex non-suo efficiendi suum, id est **A D Q V I R E N D I**.

### §. 284.

Cuilibet ius est, ex suo efficiendi alienum, id est **A L I E N A N D I** (§. 268. et 281.)

### §. 285.

## §. 285.

Identitus iurium (§. 273.), aequalitas (§. 276.), libertas naturalis plena (§. 277.) et omnes actus iusti circa suum suscepti (§. 280.) pertinent ad suum hominis connatum.

## §. 286.

Ius, quatenus coniunctum cum obligatione alterius adfirmatiua (§. 78.) ; dicitur IUS ADFIRMATIVVM : quatenus cum negatiua ; NEGATIVVM.

In statu naturali absoluto non datur ius in actiones alterius (§. 269.) : ergo in hoc statu non dantur obligationes adfirmatiuae, non iura in alterum adfirmatiua, nec officia commissiua ; quin potius omnia iura connata sunt negatiua, obligationes negatiuae, officia omissiua.

i. Talis est status naturalis absolutus, quatenus ponitur ante laesionem : qualis vero fiat ex laesione, in tertio capite disquiretur.



## LIBRI I.

## IVRIS NATVRALIS

## CAPVT II.

## IVS NATVRALE HYPOTHETICVM.

## TITVLVS I.

DE

IVRE HOMINIS INTVITV  
RERVM

ET DE

## OCCVPATIONE.

## §. 287.

*Vtile* vocamus id, quod ad perfectionem nostram facere potest. Omne *vtile* est vel in homine, vel extra hominem: illud est *VTILE INTERNUM*, hoc *EXTERNUM* seu *VTILE STATVS EXTERNI*.

i. Vita et actiones iustae pertinent ad hominis *vtile internum*.

## §. 288.

*Vtile externum* non aliud in sphaera iuris cogitatur, nisi quod in sensus incurrit, seu *ens est*.

*est corporale*: atque tum vel *est persona* aut faltem eius pars; vel minus. Posterius appellatur res. *Est itaque res in sensu iuridico, quidquid extra hominem ipsum ei utile est, nec tamen est persona aut eius pars.*

I. Homini ius in alium hominem seu aliam personam a natura non competere, iam demonstratum dedimus (§. 269.): itaque ad res nos transferamus.

### §. 289.

*Vtitur re, qui ex re sese perficit, seu actu utilitatem ex re percipit.*

### §. 290.

Ponamus, duos homines Caium et Titium aduentare in regionem hactenus a nemine habitatam, vbi variae res prostant, quae inservire ipsorum egestati possunt. Hoc casu ius est Caio et Titio, actum committendi, quo a rebus obuiis utilitatem percipient (§. 268.), ideoque ius, his *rebus utendi* (§. praec.). Quod ius utriusque est idem (§. 273.).

Itaque a sola natura neuter harum rerum habet proprietatem (§. 250.).

### §. 291.

Vnde generalis elicetur propositio; *a sola natura*

natura non datur res propria nec aliena (§. 241. et 251.).

### §. 292.

Res, quae nemini est propria, vocatur RES NVLLIVS.

Itaque a natura res omnes nullius esse constat.

### §. 293.

Ponamus porro facta Caii,

1) incipit re aliqua vti ad se se ex. gr. nutriendum aut vestiendum : iuste vtitur (§. 268.),

2) declarat Titio, qui eadem re vti cupit, se velle hac re cum eius vti exclusione : iuste declarat (§. 268.), et Titius eripere Caio eam rem nequit, sed obligatur stare Caii arbitrio (§. 279.).

Ergo, ex quo Caius incipit re illa vti, et voluntatem commonstrat, ea vti cum Titii exclusione : res ea fit Caio propria, quoad ea vtitur, seu ius nanciscitur in *vsum rei*, quoad ea vtitur,

3) declarat Titio, se velle hauc rem cum exclusione eius adseruare sibi in *vsus futuros* : iuste declarat, et Titius stare Caii tenetur iudicio (§. §. citatis).

Ergo

Ergo hoc casu res sit propria Caio, quoad vult, id est in perpetuum.

### §. 294.

En genesin moraliter possibilem, qua res a natura nullius sit res propria, dum homo

- 1) re nullius incipit vti,
- 2) vult vti cum exclusione aliorum,
- 3) vult rem asseruare sibi in usus futuros cum aliorum exclusione.

1. Distingue *ius vteendi* re a *iure in usum rei*. Illud est ius in actionem suam, hoc simul ius in rem. Homo a natura habet ius rebus vteendi (§. 290.) : contra in usum rei non nanciscitur ante ius, quam actu re vti incipit. Hoc ius per declarationem (§. 293. num. 3.) fit perpetuum, citra eam est temporarium: cessat scilicet ius, dum cessat actus, quo re vtimur.

### §. 295.

Vt facta eiusmodi ad res sibi adpropriandas committerent homines, impulit eos plus quam una ratio.

- 1) Homines non vtebantur tantum rebus, a natura sola productis, id est *naturalibus* : sed aliis etiam, ad meliorem usum labore suo praeparatis, id est *artificialibus*, quas communes esse nolebant.

2) Multi

2. Multiplicato genere humano plurimae quoque res naturales in tanta copia, ut omnium usui sufficerent, superesse desinebant.

3. Sublata vitae simplicitate quum non solum necessitatibus vitae; sed etiam commoditatibus et iucunditati prouidere anniterentur: singuli homines pluribus quam antea rebus, iisque usum continuum, indigere coeperunt, quam indigentiam auxit ingruens avaritiae, voluptatis, ambitionis cupiditas insatiabilis.

### §. 296.

Inde est, quod originem traxerit exclusio aliorum ab usu earum rerum, quibus excludens actum non vtebatur; sed usus antea erat, et in posterum uti iterum volebat. Hic est rerum propriarum initium.

### §. 297.

Inde colligitur propositio generalis:

Qui actum committit, quo non-suum efficere suum, id est AD QVIRERE vult, et ius habet, hunc actum committendi: ille actu adquirit.

### §. 298.

APPREHENDIT rem, qui illam in statum redigit, quo eius usum cum aliorum exclusio-

ne in potestate sua habet, seu qui usum rei redigit in potestatem suam cum exclusione aliorum, seu qui usum rei potentiae suae vtedi subiicit.

### §. 299.

Apprehensio rei nullius cum animo, eam efficiendi suam, seu sibi propriam habendi, dicitur OCCUPATIO.

### §. 300.

Vt occupatio sit *possibilis*, requiritur

1) Res.

Homo occupari nequit (§. 269.).

2) Res nullius.

Alienae rei apprehensio est laesio (§. 241. et 245.).

3) Quae in potestatem redigi potest cum exclusione aliorum, seu ita, vt facultas mihi sit physica alios excludendi (§. 298.): cuiusmodi res vocatur APPREHENSIBILIS. Ergo

a) et res singularis, et quantum rerum, quod intra certum spatium existit, occupari potest,

b) Res vero exclusionis seu defensionis nescia, et in cuius usu exclusio aliorum est physique

sice impossibilis, est inapprehensibilis et inoccupabilis, ex. gr. mare vastum.

4) *Ius occupandi eius, qui occupare vult.*

### §. 301.

*Vt occupatio existat, requiritur*

1) Factum, et quidem commissuum (§. 298.) et corporale, quo quis redigit usum rei cum aliorum exclusione in suam potestatem.

2) Animus eam efficiendi suam (§. eod.).

### §. 302.

*Vnde*

1) sola voluntas aut voluntatis erga alium declaratio non efficit rem, quae est nullius, mihi propriam,

2) nec solum factum absque intentione rem sibi propriam habendi, operatur proprietatem,

3) alia tamen declaratione, quam ipsa rei apprehensione, opus non est. Sufficit, me voluisse occupare, in quo standum est iudicio occupantis (§. 279.), hinc

4) in occupando qui tempore est prior, iure est potior.

### §. 303.

Cuilibet a natura competit ius occupandi (§. 299. et 294.). Ergo qui occupat, efficit

rem nullius sibi propriam, seu res nullius cedit occupanti.

### §. 304.

RES corporalis est vel MOBILIS; quae salva substantia de loco in locum moueri potest: vel IMMOBILIS; quae ita moueri nequit. Res mobilis speciatim dicitur SESE MOVEENS, quae sponte sua mouere sece potest.

### §. 305.

Consequitur ex dictis, vt

1) simul atque re mobili incipio uti cum exclusione alterius; ea ab altero iudicari debeat occupata (§. 302. et 303.),

2) vt ferae et pisces occupati sint; dum retribus positis aut aliis instrumentis quocumque modo collocatis ita detinentur, ut aufugere nequeant, aut si ex. gr. fera sclopeto prosterantur, vel ita vulneretur aut lassetur, ut effugere nequeat,

3) e contrario fera, quam fugientem adhuc prosequor, nondum sit occupata (§. 301.), id est que alteri eam intercipiendi et sibi occupandi ius nondum ademptum,

4) vt occupetur res immobilis, si ex. gr. fundus

fundus limitibus circumscribitur, aut usui non transitorio adaptatur cet.

### §. 306.

Ceterum modus occupandi a nemine prescribendus, quin potius iudicio occupantis relinquendus (§. 279.).

### §. 307.

POSSIDET REM, qui usum rei, quam iudicat suam, in potestate sua habet cum aliorum exclusione.

Hinc

1) NON POSSIDET, qui rem potentiae suae utendi subiectam habet, sed iudicat eam esse alienam, aut eam non vult esse suam, id est qui DETINET,

2) Absens quoque possidet, quatenus per alium actus possessorios exercet.

### §. 308.

Occupans fit rei occupatae possessor (§. 299. et 307.)

### §. 309.

Res occupata manet occupantis propria, quamdiu animus eam propriam sibi habendi

perdurat; licet possessio interrumpatur (§. 281.).

- 1) Examinetur sententia GROTI de
- a) communione primaeva eiusque in communionem ex simplicitate et ex caritate diuisionem: vnde aliorum species communionis enatae sunt, scilicet communio negativa, positiva et mixta.
- b) de communionis primaevae residuo ad hodiernam orbis terrarum faciem applicato.

### §. 310.

*De Occupatione interimistica* quaedam hic subiicienda.

Ea est hominis natura, ut de obiectis iudicet secundum sensus suos, ideoque secundum eorum signa.

Hinc iudicat

- 1) id existere, cuius existentiae sentit signa,
- 2) id non existere, cuius existentiae signa non sentit.

### §. 311.

Iudicare de obiectis, prout in sensus incurront, est actio animae, qua per se considerata, nemo laeditur, et quae eaterus pertinet ad suum connatum, consequenter in quam alteri ius non est (§. 269.).

### §. 312.

Quamobrem cuilibet ius est iudicandi de obiectis

obiectis secundum eorum signa, ideoque ius, iudicandi

- 1) id existere, cuius existentiae signa sentit,
- 2) id non existere, cuius existentiae signa non sentit.

1. Vnde concipitur brocardicum: *non esse et non apparere in iure pari passu ambulant.*

### §. 313.

Sensus interdum fallere hominem, experientia loquitur. Saepe accidit, vt

- 1) id existat, cuius signa non apparent,
- 2) id non existat, cuius adsunt signa.

Quodsi hoc casu homo iudicat secundum signa; iudicium eius est falsum, et vel ex ignorantia vel ex errore prognatum: quam *ignorantiam et errorum* appellabimus *communem* seu *vulgarem*.

### §. 314.

Ignorantia et error communis sunt actiones animae, quae per se consideratae non sunt laesiones (§. 311.), ideoque ad eas evitandas in statu naturali nemo alteri obligatur; quin potius sunt actiones, in quas agenti ius est a natura. Itaque negari nequit, dari *ius quoddam ignorantiae et erroris.*

## §. 315.

Pone ex hoc falso iudicio oriri actionem iniustam: existit casus, ubi adest iniustitia actionis, deficit personae iniustitia: adest laesio, sed non moralis (§. 253.), nec moraliter imputabilis (§. 144.).

## §. 316.

Pone hominem cognoscere iudicii sui falsitatem et actionis suae iniustitiam; siue id fiat probatione alterius siue aliunde: simul atque cessat ignorare vel errare: cessat eius ius ex ignorantia vel errore agendi, cognoscit se laedere, incipit iniustitia personae, adest laesio moralis (§. 253.) et moraliter imputabilis (§. 144.).

1. Hoc casu itaque praesumtio cedit veritati: et is, qui haec tenus ignorauit vel errauit, ea obligatione tenetur, qua teneri omnem laeden-tem infra demonstrabitur, id quod alii exprimunt; *obligatur admittere probationem contraria-*

## §. 317.

Vnde colligitur, ius esse homini

- 1) iudicandi de obiectis secundum eorum signa, atque agendi iudicio suo conuenienter,
- 2) porro, dum ex ignorantia vel errore comuni agit, ius ei competere ignorandi vel errandi eo dumtaxat usque, donec probetur con-

trarium,

trarium, vel aliunde cognoscatur ab ipso iudicium sui ignorantia vel error iniustus.

### §. 318.

Pone rem alienam, de qua signa non existant, eam esse alienam: qui apprehendit eiusmodi rem, ex iure ignorantiae habet ius iudicandi, eam esse nullius, ideoque iuste occupat, donec constet, ad quem res pertineat.

Itaque res eiusmodi apprehensa cedit occupanti; sed ad interim.

Hinc occupationem rei alienae, quae aliena esse ignoratur, vocant *occupationem interimisticam*.

Applicari haec possunt ad res iactas, amissas, naufragas, thesaurum inuentum. Titius, qui rem suam iecit, amisit, naufragium passus est, thesaurum depositus; vult eas res sibi manere proprias, ideoque eae res manent Titio propriae animo (§. 281.), licet possessio earum interrumpatur (§. 309.). Caius has res apprehendens, ex iure ignorantiae iudicat eas res nullius, consequenter per apprehensionem suas; donec cognoscat dominum, ideoque ad interim.





## IVRIS NATVRALIS HYPOTHETICI

## TITVLVS II.

DE

## DOMINIO ET ADQVISITIONE EX LEGE.

§. 319.

**H**omines stimulo naturali et ratione ducti, sese per res et per alias personas perficere al laborarunt, seu vtilitates tum ex rebus tum ex aliis personis percipere quaesiuere, et quidem cum aliorum exclusione.

§. 320.

Huius finis consequendi medium sunt actus circa res vel personas suscepiti.

Ius vero in actus circa res vel alias personas cum aliorum exclusione est ius proprium (§. 250).

Homines igitur quaerere coeperunt iura propria in res et alias personas.

§. 321.

Tale quidem ius a natura non competit nec in res (§. 292.), nec in alias personas (§. 269.).

269.). Itaque accedente demum factō hominis est possibile. Ergo non est ius connatum; sed ius adquisitum seu quaeſitum.

1. Ius tale cogitari a) sine re vel alia persona, et b) sine proprietario nequit.

Cogita rem vel personam, in quam est ius proprium; ius quaeſitum inhaeret rei vel personae: eatenus res vel persona est suum (§. 251.) et vtile externum (§. 287.).

Cogita proprietarium, cui competit ius quaeſitum: ius eius proprium consistit in actionibus quibusdam, quas fuscipere potest aliis exclusis, ideoque in vtili interno. Hoc respectu ius proprium vtili externo et rei contradistinguitur. Res omnis est corporalis: ius minus. Hinc ICris Romanis placuit, ius proprium appellare *rem incorporalem*.

2. Hinc et *possideri* ius proprium et res incorporalis dicitur, quatenus eius exercitium tamquam nostrum est in potestate nostra (§. 307.).

Perdurat etiam ius tale et retineri potest solo animo, licet eius possessio amittatur (§. 281. et 309.).

### §. 322.

De iuribus in personas infra differendi locus erit. Ponamus itaque rem et quidem propriam. Intuitu rei propriae per se patet, quod

1) circa rem mihi propriam mihi ius sit, omnes actus pro arbitrio fuscipiendi, quibus nemo laeditur (§. 250.), et quidem

2) cum

2) cum aliorum exclusione; ita ut nemo ali-  
us ius habeat, actum quem demum cumque cir-  
ca rem mihi propriam suscipiendi (§. 251.).

### §. 323.

Ergo circa rem propriam mihi competit ius

- 1) proprium, et quidem
- 2) in omnes actus circa eamdem rem.

### §. 324.

Pone quemlibet actum determinatum, qui  
circa hanc rem cogitari potest: pones in eum  
ius mihi proprium. Ergo ius in rem propriam  
est complexus plurium iurium propriorum, im-  
mo omnium, quae circa rem possibilia sunt.

### §. 325.

Iurium in rem propriorum summa dicitur  
**DOMINIVM**, seu est complexus omnium, quae  
in rem possibilia sunt, iurium quaesitorum.

### §. 326.

Ius proprium, actus quoslibet pro arbitrio  
circa rem quamdam suscipiendi, dicitur **IVS  
DISPONENDI** seu **LIBERE DISPONENDI**.

Domino itaque in rem propriam competit  
ius disponendi.

1. Res in dominio existens est corporalis (§. 288.): dominium vero ipsum est res incorporalis (§. 321. in not.).

### §. 327.

Domino competit in rem suam omnia, quae cogitari possunt, iura. Nemini vero ius est, alterum laedandi. Itaque hi naturales sunt dominii limites, ut dominus quoslibet circa rem suam actus suscipere possit, quibus nemo laeditur, seu qui non sunt iniusti (§. 322.).

### §. 328.

Partes dominii seu iura dominii specialia penitus lustranda. Actum circa rem suam dominus exercet vel salua re et saluo dominio suo, vel minus. Ille actus dicitur UTILITATVM PERCEPTIO in specie: hic DISPOSITIO in specie.

Competit igitur domino ius, tum utilitates ex re sua percipiendi, tum de ea libere disponendi.

1. Hoc ius disponendi iuri Romano vocatur proprietas.

### §. 329.

Vtrumque ius domini est ius cum aliorum exclusione, ideoque proprium (§. 236.).

### §. 330.

## §. 330.

Vt dominus vtilitates percipere possit, requiritur, vt usus rei in sua sit potestate.

Ergo domino competit ius possidendi rem suam (§. 307.).

## §. 331.

Ius possidendi domino est proprium (§. 326.). Quemlibet igitur ab usu, detentione, possessione rei suae excludit iuste (§. 251.).

## §. 332.

Domino competit ius, omnes, quae possibles sunt, e re sua percipiendi vtilitates. Vtrum actus quidam, a domino in rem suam suscep-tus, ei adferat vtilitatem, id quidem iudicio domini relinquitur: siue

- 1) vtilitas pertineat ad necessitatem, commoditatem vel iucunditatem domini;
- 2) siue *vtilitas* sit *vera* siue *imaginaria* (§. 279.).

## §. 333.

**Essentia existens rei dicitur rei s v b -  
S T A N T I A.**

Res rei ACCEDIT, quae tamquam incrementum rei alteri iungitur.

Res

Res accedens alteri vocatur eius ACCESSORIUM: et hoc respectu res, cui iungitur accessorium, vocatur RES PRINCIPALIS seu PRINCIPALE.

### §. 334.

Accessorium vel ut existitur praeuideri potuit; vel minus: illud dicitur FRUCTVS(a);  
HOC ACCESSORIUM FORTVITVM.

(a) Fructus omne id est, propter quod res est comparata, lex 27. ff. de petit. hered.

### §. 335.

Fructuum tres sunt species: alii sunt naturae, industriae alii, alii tandem vtriusque effetus. Illi NATVRALES; isti INDVSTRIALES; hi MIXTI vocantur.

### §. 336.

Quidquid esse potest utilitas rei, in illud domino rei ius proprium est (§. 328.). Ergo et substantia rei et accessorium et fructus sunt suum domini rei principalis.

### §. 337.

Ex quo tempore quid esse potest rei propriæ utilitas, ex eo est suum domini rei. Hinc

1) Accessorium simul atque esse accessorium incipit, in specie

2) Fructus simul atque nascuntur, adquiruntur domino rei principalis, seu *accessorium sequitur suum principale.*

### §. 338.

Adquisitio accessorii vocatur **ACCESSIO.**

Competit itaque domino ius accessionis (§. 336. et 337.).

### §. 339.

Adquisitio accessorii perficitur .citra nouum factum domini accedens, seu perficitur ex sola lege naturali.

Hinc *accessio* dicitur *adquisitio ex lege.*

#### I. Adquisitio accessorii

a) non est *occupatio accessoria*, nec

b) res accedens rei tantummodo dat *occaſionem acquirendi* domino rei principalis,

c) nec, ut demonstretur ius accessionis, opus est statuere *rem accendentem esse iacentem.*

### §. 340.

Non ultra dominii iura sunt extendenda, quam quatenus nemo laeditur (§. 327.). Pone perceptionem utilitatis ex re propria, qua suum alterius inuiditur: in eam utilitatem domino ius nullum est.

Ergo

Ergo accessorium, quod est res aliena, domino rei principalis, ea propter, quod accessorium fit, neutiquam adquiritur.

### §. 341.

Si res aliena fit rei mei accessorium: aut si exstant, rem accessoriam esse alienam; aut minus exstant.

### §. 342.

Si non exstant: competit domino rei principalis ius ignorantiae (§. 317.), ideoque ius, accessorium iudicare suum, donec dominus verus rei accendentis ipsi reddatur cognitus (§. eod.).

Hoc casu accessorium adquirit, quoad ignorat. Adebat *accessio*, sed dumtaxat ad interim, et vocatur ea de causa *interimistica*.

### §. 343.

Si e contrario signa eiusmodi exstant: dominus rei principalis obligatur agnoscere, eam esse alienam: hoc casu in accessorium ei nullum ius nascitur.

Sive ceterum res aliena per factum meum fiat rei meae accessorium; sive citra factum meum: semper manet aliena. Haec applicari possunt ad res iactas, naufragas et amissas.

## §. 344.

*Disponit* dominus de re sua, sicuti actum circa rem suscipit, quo vel res sua vel eius dominium saluum non permanet (§. 328.), seu quo aut res detrimentum patitur, aut dominium imminuitur.

## §. 345.

Actus in rem, quo ea detrimentum capit, eius vocatur ABVSVS.

Abusus rei *iacturam* rei infert aut *totalem*; aut *partialem*: ille cum interitu rei coniuncta est; hic minus. Ille abusus est DESTRUCTIO seu CONSUMPTIO rei; iste DETERIORATIO seu PEIORATIO seu CORRUPTIO rei.

1. Dantur res, quarum usus ordinarius consistit in consumtione, seu quae usu consumuntur, id est fungibles.

## §. 346.

Domino competit ius proprium, re sua abutendi, eam destruendi et deteriorandi (§. 318. et 19.).

## §. 347.

Actus domini in rem suam, quo eius dominium imminuitur, vel continet translationem iuris in alium; vel minus: ille dicitur ALIENATIO;

NATIO; hic sola voluntate domini, qua rem suam amplius esse nude non vult, perficitur, vocaturque rei DERELICTIO.

i. Res derelicta cessat esse res propria (§. 281.); ideoque euadit res nullius (§. 292.) et occupabilis (§. 300.).

§. 348.

Alienatio est vel totius dominii; vel minus: illa dicitur ALIENATIO PLENA; haec MINUS PLENA.

§. 349.

Si res minus plene a domino alienatur: vel alienatur ita, ut postea sibi cum alio omnia dominii iura simul competant; vel ita, ut non simul omnia. Priori casu constituitur CONDOMINIVM; posteriori minus. CONDOMINIVM itaque est communio dominii (§. 252.).

§. 350.

Rei minus plene a domino alienatae ita, ut sibi in posterum cum alio omnia iura simul non competant, infinitae cogitari possunt species, ex diuersitate rerum et vtilitatum in eas possibilium. Eminent interea sequentes.

i. Rei alienatio minus plena cogitari nequit nisi in re, quae non est fungibilis (§. 345. not. 1.).

## §. 351.

Si dominus ius, vtilitates percipiendi ex re alienat : alienat vel reseruato sibi, vel communicato cum altero iure disponendi. Ad priorem casum referenda *seruitus*, posteriori casu nascitur conceptus *dominii vtilis et directi*.

i. In alienatione minus plena reseruatio *iuris disponendi* intelligitur, quatenus disponere moraliter possibile est (§. 327.). Hoc casu disponere velle non salua re esset laesio. Ergo ius disponendi reseruatum non continet ius, rem destruendi vel deteriorandi ; sed tantum ius alienandi.

## §. 352.

SERVITVS quippe est ius, ex re aliena vtilitates percipiendi.

i. Non conuenit haec notio cum Iure Romano : sed in hac iuris positui confusione nulla reperiri poterit notio, quae ad Ius Romanum adaptari ad amissim possit.

## §. 353.

Dominium est summa iurium (§. 325.). Ex alienatione minus plena ab hac summa aliquid subtrahitur.

Pone dominium, cui pars quaedam subtracta : pones dominium minus integrum seu minus plenum in genere.

## §. 354.

## §. 354.

Partes dominii eminentiores sunt

- 1) ius vtilitates omnes percipiendi,
- 2) ius disponendi.

Si itaque dominus Caius transfert in Titium ius, ex re sua vtilitates omnes percipiendi, et communicat simul cum eo ius disponendi: et Titius et Caius participant dominium, vterque minus plene: qui casus *in specie* dicitur efficere DOMINIVM MINVS PLENVM.

Hinc Titius appellatur *dominus vtilis*, et Caius *dominus directus*.

i. Exempla sunt in feudo, in emphyteusi et superficie.

## §. 355.

Domino ius est, rem suam et derelinquendi et alienandi, alienandique et plene et minus plene (§. 329.).

## §. 356.

Quantum dominus ex iuribus dominii sui in alterum transfert: tantum ex suo perdit, in tantum iura dominii sui imminuit.

## §. 357.

Domino ius est, et condominium in re sua, et seruitutem et dominium vtile aut directum

constituendi, concedendique alteri ius, tum vtilitatem singularem, tum genus vtilitatum, vel omnes omnino vtilitates ex re sua percipiendi.

### §. 358.

Qui ius dumtaxat determinatum in re habet, is intuitu ceterorum omnium circa rem iurium est non-dominus.

Contra quicumque excepto iure quodam determinato quodlibet aliud ius indeterminatum in rem habet: ille manet dominus; sed minus plenus (§. 353.).

### §. 359.

Qui occupat rem, eius fit dominus (§. 303.).

Ergo quaecumque de domino hactenus fure adstructa, ad occupantem possunt applicari.

### §. 360.

Ex acquisitione iurium in res et personas nascitur conceptus PATRIMONII seu BONORVM in sensu specialissimo. Patrimonium scilicet denotat complexum omnium rerum et iurium circa res vel personas alicui proprium.



## TITVLVS III.

DE

DECLARATIONE MENTIS  
ET EXISTIMATIONE.

§. 361.

**Q**uum homo subinde aliorum indigeat auxilio ; eum vero in finem ut mihi innotescat, qua in re praesto alteri esse possim, necessario requiratur, vt mentem alterius intelligam : Deus hominibus concessit facultatem, animi sui sensa secum inuicem communicandi mediantibus signis.

§. 362.

Consistunt haec potissimum in *loquela* seu sermone et eius vicario *scriptura*, seu generatim in *verbis* ; praeterea vero etiam in aliis factis a sermone diuersis.

Significare alteri cogitationes vel voluntatem suam dicitur **M E N T E M** suam **D E C L A R A R E**. **D E C L A R A T I O** per verba vocatur **E X P R E S S A** ; per facta a verbis diuersa, **T A C I T A**.

## §. 363.

Declarare mentem nostram vel non declarare, loqui vel tacere ; signis aut verbis vti, quae conueniunt cum mente nostra vel ei contrarian-  
tur ; consequenter sincere agere, vel simulare aut dissimulare, moraliter vere vel false loqui ; aper-  
te vel ambigue, aenigmatice, cum reseruatione  
mentalii loqui, praetextu vti, cet. haec omnia  
pertinent ad actiones nostras, consequenter, qua-  
tenus non continent laesionem, in eas a natura  
nullum ius alteri, nulla nobis est obligatio (§.  
268) : ideoque quatenus per se considerantur,  
iniusti nihil inuoluunt.

## §. 364.

E contrario usus signorum et declaratio, quo  
1) intenditur laesio et in specie MENDACIVM,  
quod denotat falsiloquium cum laesione con-  
iunctum, est actio iniusta, et iure naturali pro-  
hibetur, similiter

2) non-usus signorum et omissio declaratio-  
nis eo casu, quo ad usum signorum et decla-  
rationem obligamur, et in specie RETICEN-  
TIA, quatenus cogitatur ut silentium de eo, ad  
quod dicendum obligamur, est actio iniusta.

## §. 365.

Haec paucis applicemus ad existimationem.

Con-

Conuenientia actionum liberarum cum obligatiōne morali dicitur **PERFECTIO MORALIS**: disconuenientia autem **IMPERFECTIO MORALIS**.

Obligatio moralis est vel *perfecta* vel *imperfecta* (§. 158.). Hinc **PERFECTIO** et **IMPERFECTIO MORALIS** dicitur vel **EXTERNA** vel **INTERNA**.

### §. 366.

Quatenus alteri tribuimus perfectiones vel imperfectiones morales, eatenus alteri oritur **EXISTIMATIO** seu **FAMA**.

Haec itaque consistit in iudicio aliorum, quo alicui tribuunt vel perfectiones vel imperfectiones morales.

### §. 367.

Si tribuuntur alicui perfectiones morales; eius **EXISTIMATIO** est **BONA**: si imperfectiones morales; eius **EXISTIMATIO** est **MALA**.

### §. 368.

**EXISTIMATIO BONA** est **SIMPLEX**; si perfectiones morales externae alicui tribuuntur: si tribuuntur perfectiones externis maiores; est **INTENSIVA**.

## §. 369.

Iudicium siymbolicum (signo externo expressum), quo alicui tribuuntur perfectiones externis maiores, dicitur **HONOR.**

1. Signa sunt multiplicis generis: hinc vario modo quis honorari potest.

## §. 370.

**EXISTIMATIO MALA** est **SIMPLEX**; si imperfectiones morales internae tribuuntur: **INTENSIVA**; si imperfectiones morales externae tribuuntur.

## §. 371.

Summus specie gradus existimationis malae intensiae dicitur **INFAMIA**. Oritur itaque infamia ex actionibus, quae praeponderantem violandi officia externa conatum commonstrant (§. 370.).

1. Hinc dolus non culpa infamat (§. 116.).  
2. Facta aliena, qua talia, infamiam nemini inurunt.

## §. 372.

Iudicium siymbolicum, quo alteri tribuuntur imperfectiones morales, vocatur **CONTEMTVS** seu **IGNOMINIA** seu **VITUPERIVM**: et contemptus verbis declaratus est **CONVICIVM** seu **CONTVMELIA**.

1. Contemtus vti honor variis modis declarari potest,

### §. 373.

Antequam quis violauerit leges naturales, non est iniustus iudicandus (§. 243.). Ergo quilibet nascitur iustus.

Ponamus aliquem, qui declarat iudicium de alterius iustitia vel iniustitia in statu naturali, quatenus concipitur a natuitate, is obligatur alteri tribuere iustitiam, ideoque perfectiones morales externas. Ergo sub hac hypothesi existimatio bona simplex est suum connatum.

1. Quilibet ergo praesumitur bonus (iustus), donec probetur contrarium.

2. Quilibet nascitur iustus; nemo infamis.

### §. 374.

Omnium hominum a natura idem est suum (§. 273.). Consequenter et eadem existimatio, scilicet existimatio bona simplex.

### §. 375.

In foro iuris naturalis ad perfectiones morales internas non respicitur (§. 247.). Ergo in nostra sphaera exulat existimatio intensua et honor.

### §. 376.

## §. 376.

Qui exigit honorem ab altero, agit contra identitatem existimationis (§. 373.) et contra libertatem naturalem (§. 279.). Ergo laedit.

Quamobrem et honor iniuste exigitur, et ut tribuatur, idem vicissim honor ab altero iuste postulatur (§. 273.).

## §. 377.

*Tituli* dantur, quae significant honorem. Tituli eiusmodi, ut quaelibet honoris demonstratio, alteri denegatur iuste (§. praec.).

## §. 378.

IUS PRAECEDENTIAE est ius melioris loci in ordine cum altero. Qui sibi arrogat in statu mere naturali ius praecedentiae, siue qua honorem, siue qua aliud ius praecipuum, laedit alterum (§. 376. et 273.).

## §. 379.

Quatenus existimatio bona est suum, eatus contemtus est iniustus. Hinc contemtus, ignominia, conuicium, contumelia, iniuria sensu specialissimo, quibus tribuuntur alteri imperfectiones morales externae, continent laesionem.

## §. 380.

## §. 380.

Ex superioribus constat, quod meum cesseret esse meum, dum volo (§. 281.). Pone obiectum A, quod est suum Titii. Titius declarat Caio, se velle, ut A. cesseret esse suum et fiat Caii. Caius exinde nanciscitur ius iudicandi secundum signa (§. 312.), ideoque ius sibi appropriandi A.

In eiusmodi casu iudicium Caii potest esse erroneum (§. 313.) ex. gr. si Titius probat voluntatem contrariam.

Vnde elucet, iudicium ex alterius declaratione formatum per se continere aliquid incerti, et admittere probationem contrarii.

## §. 381.

Pone Titium declarare voluntatem sufficienter, id est determinatam voluntatem de suo determinato per signa determinata et recepta. Inde ius est Caio, iudicandi ex his signis, existere voluntatem Titii, ita ut non obligetur admittere probationem contrarii.

Non enim est in potestate humana, aliter certum fieri de voluntate alterius, quam ex eius propria et sufficienti declaratione; ad impossibilia vero nemo obligatur (§. 83.).

## §. 382.

Hinc colligitur iuris vniuersalis regula: qualem voluntatem quis sufficienter declarat, talem ei voluntatem esse alter ius habet iudicandi, seu breuius: *qualem tu te sufficienter declaras, talem te iudicandi mibi ius est*: non ius ad interim, donec probetur contrarium; sed ius perpetuum et inuariabile.

## §. 383.

Ergo si quis sufficienter declarat, se velle derelinquere suum: alter ius habet, id obiectum iudicandi derelictum, iudicandi rem nullius, ideoque ius nanciscitur occupandi, et eiusmodi res cedit occupanti in perpetuum.

I. Ex eodem principio (§. 382.) deducitur ius ex pacto, ad quod tractandum nunc festinamus.



## IVRIS NATVRALIS HYPOTHETICI

## TITVLVS IV.

DE

## PACTO.

## §. 384.

Introducto rerum dominio nihil fere amplius superstitionis, quod esset nullius, atque usui apprehendentis pateret: omnia domino cuidam subiecta et aliena, quae apprehendere nefas, et a quorum usu quilibet iuste excludebatur.

Tum aucta magnopere necessitas, ex aliorum hominum rebus et operis sibi quaerendi utilitatem, unde orta necessitas, efficiendi ex alieno suum, cuius medium repertum in declaratione voluntatis mutua, quae peperit PACTVM, cuius indolem nunc sumus examinaturi.

## §. 385.

PROMITTO tibi aliquid, si tibi sufficienter declaro, me velle, ut meum fiat tuum.

CONSENTIT, qui sufficienter declarat, se idem velle, quod alter vult.

ACCEPTAT promissum, qui consentit in promis-

promissum alterius sibi factum. Accepto itaque, sicubi promittenti sufficienter declaro, me velle, vt suum promittentis fiat meum.

### §. 386.

Promissum acceptatum dicitur **PACTVM**, **PACTIO, CONVENTIO.**

Pactum itaque continet consensum mutuum de suo alterius consentientis in alterum consentientem transferendo.

### §. 387.

Pone obiectum X, quod promittit Caius, et quod acceptat Titius.

Caius sufficienter declarat, se velle, vt X fiat suum Titii, Titius sufficienter declarat, se velle, vt X fiat suum.

Titius actum committit, quo adquirere vult, et habet ius hunc actum committendi, quod ius ei oritur ex Caui declaratione sufficienti (§. 381.).

Ergo X. fit suum Titii, hoc est pactum efficit, vt suum promittentis fiat suum acceptantis.

i. Hac demonstratione nihil aliud euincitur, nisi quod in ipso pacti conceptu nihil reperiatur, quod obstet, quo minus suum promittentis fiat suum acceptantis.

### §. 388.

Per pactum promittens efficit, vt suum fiat alterius

alterius scilicet acceptantis, id est alienat : acceptans contra efficit, ut non - suum fiat suum, id est adquirit.

Pactum itaque est modus et alienandi et adquirendi.

I. Modus adquirendi per pactum vocatur DERIVATIVVS, hoc est, quo ex alieno fit nostrum : cui opponitur ORIGINARIVS, quo scilicet ex re nullius fit res propria, ut in occupatione.

### §. 389.

FACERE alteri aliquid, est secundum alterius arbitrium actionem liberam committere vel omittere. DARE seu TRADERE alteri quid, est efficere, ut quid perueniat in possessionem alterius. Dare vel facere alteri aliquid unico vocabulo PRAESTARE appellatur.

I. Actiones itaque seu operas facimus, res et iura damus seu tradimus, vtrasque praestamus.

### §. 390.

Suum consistit vel in actionibus seu operis, vel minus, seu in quocumque alio ente utili. Si quis promittit operas, promittit faciendum: si quocumque aliud; promittit daendum: in utroque casu promittit praestandum.

PACTVM itaque est consensus reciprocus in idem praestandum, seu est declaratio duorum vel plurium, se idem velle intuitu eius, quod alterutri ab alterutro est praestandum.

### §. 391.

Per pactum suum promittentis fit acceptantis (§. 387.). Ergo in id, quod vigore pacti praestandum est a promittente, acceptans adquirit ius (§. 241. et §. praec.).

### §. 392.

Promittens vel eodem actu, quo promittit, et praefat promissum, vel minus. Pone promittentem nondum praestitisse, quod promisit: acceptans adquirit ius in promittentem, ut actu praestet, cui respondet *obligatio* promittentis ad praestandum, ideoque *adfirmativa* (§. 87.).

### §. 393.

Qui actu praefat, quod per pactum promisit, dicitur **STARE PROMISSIS, ADIMPLERE seu SERVARE PACTVM.**

Ergo

Ergo promittens hoc casu obligatur stare  
promissis (§. 387. et 391.)

§. 394.

Voluntas seria promissis standi vocatur **FIDES** seu **FIDES PACTITIA**. Promittens igitur obligatur ad fidem pactitiam, ad fidem datum liberandam, fides pactitia est sanctissima (§. praec.).

**PERFIDIA** e contrario seu violatio fidei datae est laesio.

§. 395.

Pactum per se consideratum est **ACTVS VALIDVS**, id est qui ius vel obligationem producit (§. 387.): sed dantur plures circumstantiae, quae validatem eius impedire possunt. Itaque inuestigandum, quae requiruntur, ut pactum in casu singulari valeat, et quae obsteat, quo minus valere possit.

§. 396.

In definitione pacti redeunt omnia ad duo capita,

1) ad consensum mutuum, qui pacto dat formam,

2) ad obiectum praestandum, quod pacto suggerit materialm.

## §. 397.

Pactum requirit consensum reciprocum *existentem* seu *verum*, ideoque postulat eius et possibilitatem et existentiam.

## §. 398.

*Possibilitas* consensus inuoluit facultatem consentiendi physicam, quae praestruit usum intellectus (§. 385. et 16.). Ergo pactum requirit usum intellectus tum in promittente tum in acceptante.

Consequenter infantes, furiosi, mente capti, enormiter ebrii, cet. pacisci nequeunt.

## §. 399.

*Existentia* consensus adest, sicubi adest

- 1) Voluntas sufficienter declarata
- 2) utriusque, et promittentis et acceptantis,
- 3) et quidem eadem (§. 386.).

## §. 400.

*Voluntas* requiritur sufficienter declarata, ideoque determinata, de obiecto determinato per signa determinata et recepta (§. 381.). Hinc

1) *Adserio generalis*, verba officiosa et honoris non sunt pactum. Non enim continent nisi declarationem voluntatis indeterminatae, infer-

inseruiendi alteri, si qua occasio nata fuerit, quam amplecti mihi libuerit.

2) TRACTATUS seu deliberationes de ineundo iuicem pacto, non sunt pactum.

3) *Locus*, quum voluntatem seriam excludat, pacto repugnat.

### §. 401.

Declaratur voluntas vel expresse vel tacite (§. 362.). Inde tam CONSENSVS, quam PACTVM dispescitur in EXPRESSVM vel TACITVM.

1. Factum eiusmodi nisi exstat, non adest verus consensus, sed *fictus*. Qui in specie dicitur PRAESUMTVS, quatenus tribuitur personae vsu intellectus instructae in re sibi vtili. Vterque consensus exulat in statu naturali (§. 397.).

2. In iuribus positivis reperimus QVASI-CONTRACTVS, qui sunt conuentiones, in quibus alterutrius paciscentis consensus tantummodo praesumitur. Quasi-contractus iure naturali non sunt vera pacta, ideoque obligatio ne perfecta destituuntur (§. eod.). Huc referenda negotiorum gestio.

3. Fieri tamen ex quasi-contraktu vera pactio potest, vbi consensus praesumitus efficitur verus, quod RATI HABITIONE obtinetur, quae denotat consensum in negotium sui gratia ab altero iam susceptum. Itaque quasi-contractus omnem validitatem trahit ex ratihabitione sive expressa sive tacita (§. 362.).

4. Ad quasi-contractus vulgo etiam referunt solutionem indebiti, atque id quod sine causa vel quasi sine causa acceptum. Sed non opus est, fictione in auxilium vocata decidere, quae ex solo: *S V M C V I Q Y E*, vel ex ipsa consensu absentia sponte deriuantur.

### §. 402.

Tum voluntas *utriusque* adesse debet et promittentis et acceptantis (§. 399.).

Hinc

1) Quum declaratio voluntatis sit factum commissuum; pactum requirit ad minimum duplum actum commissuum (§. 386.) a).

2) Promissum sine acceptatione nondum est pactum, nondum factum obligatorium.

3) *POLLICITATIO*, id est nuda declaratio alteri facta, se velle tertio quid praestare, non est pactum.

4) *VOTVM* id est promissio, qua deo quid destinatur ex suo, caret acceptante homine, ideoque non est pactum.

a) Pactum ut fiat validum, non necessario requirere tria facta commissua, inde optime perspicitur, quod demonstratum fuerit, promissum acceptatum posse esse validum (§. 387.).

### §. 403.

Voluntas *utriusque* existere debet *eadem*,  
id

id quod inuoluit idenditatem et in conceptu de eo, quod praestandum est, et in tempore, ut vtraque simul existat. Itaque fraus siue dolus ac error consensui et pacto obstant, de quibus sequentia tenenda.

### §. 404.

FRAUDE seu DOLO alterum circumuenit, qui motiuis fictis eum ad agendum determinat. Qui fraude alterum inducit ad promittendum,

1) efficit, ut consensus promittentis non sit verus, quia nititur errore, cuius cauſa est acceptans,

2) laedit promittentem. Nam eum inducit in errorem, ut eius suum adquirat, consequenter in errorem, ex quo alteri malum oritur. Ergo pactum dolo superstructum est inualidum: tum quia caret consensu vero, tum quia continet iniustitiam acceptantis.

### §. 405.

ERROR promittentis tollit eius consensum (§. 403.). Sed quum acceptans ius nanciscatur, id contra promittentem pro vero habendi, quod alter declarauit (§. 382.); error promittentis (cuius cauſa non est fraus acceptantis),

est contra ius acceptantis. Hinc si error est vincibilis, continet culpam errantis, atque erranti est imputabilis (§. 118.). Contra error invincibilis a culpa est vacuus, nec erranti imputabilis (§. eod.).

Vnde liquet, errorem inuincibilem annullare pactum (§. 403.), vincibilem minus.

### §. 406.

Obiectum praestandum requirit, vt illud praestare

- 1) sit physice possibile,
- 2) sit moraliter possibile.

Ad id enim, quod naturaliter vel moraliter est impossibile, promittens non obligatur (§. 83. et 109.).

Hinc 1) *factum iniustum seu turpe* cum sit moraliter impossibile: eius promissio et pactio est inualida,

2) qui *cogit alterum ad promittendum*, sibi us in actiones alterius arrogat (§. 269.), ideoque laedit. Hoc itaque sensu pactum vi seu metu extortum est inualidum,

3) de *alieno disponere lex vetat* (§. 251.). Hinc promissio alieni, qua talis, est inualida, cuius restrictionem exemplo addemus.

## §. 407.

Inquirendum scilicet, an pactum per alium sanctum sit validum.

Nemo citra meum consensum ex meo alienum, nec ex alieno meum efficere potest (§. 251.). Sed meo consensu per alium ex meo non-meum vel alienum, ut etiam ex non-meo vel alieno meum fieri, omnino ius fasque est (§. 281.).

## §. 408.

Hinc ortum trahit MANDATVM seu pactum de negotio alterius perficiendo, cuius parti promittens dicitur MANDATARIVS, acceptans autem MANDANS.

## §. 409.

Mandatarius igitur intuitu negotii expediendi agit ex iure vel obligatione mandantis, id est nomine mandantis seu NOMINE ALIENO: aut, quod idem est, instructus est iure et tenetur obligatione mandantis intuitu negotii commissi, quod dicunt REPRAESENTARE MANDANTEM intuitu negotii demandati.

## §. 410.

Per mandatarium itaque adquirere, ex. gr.

occupare, se se obligare, pacisci, optimo iure licet.

Pactum igitur per mandatarium sanctum est validum respectu mandantis.

### §. 411.

Ad pactum validum itaque requiritur, ut  
1) contineat existentiam consensus mutui de  
objeto praestando physice possibili, cuiusmodi  
pactum vocatur VERVM: si minus continet;  
pactum est NVLLVM,

2) ut nihil contineat legibus contrarium, idem  
oque ut sit IUSTVM.

Quidquid obstat veritati pactionis, ANNVL-  
LAT pactum: quidquid institiae, VITIAT.

### §. 412.

Nunc de effectibus pacti validi quaedam ad-  
denda.

Promittens reuocare promissum nequit.  
REVOCAT, qui declarat mentem, menti priori  
contrariam; REVOCAT PROMISSVM, qui  
declarat, se nolle seruare promissum.

Promissum ante acceptationem non obligat,  
ideoque iuste reuocari potest: acceptatum ob-  
ligat, ideoque, nisi iniuste, reuocari nequit.

1. Quamobrem pactum dat ius irreuocabile, imponit obligationem irreuocabilem, nece ei, qui pactus est, poenitere licet.

### §. 413.

Promittens, qui, quod promisit, nondum praestitit, fit debitor, acceptans creditor. **D E B I T O R** scilicet vocatur, qui alteri ad quid praestandum obligatur; **C R E D I T O R** vero, qui ius habet in alterum qua debitorem.

### §. 414.

Si quis promisit praestare operas; obligatur ad operas faciendas: si res vel iura; ad res vel iura dandas seu tradendas tenetur (§. 389.).

### §. 415.

**T R A D O** in specie **R E M**, dum efficio, ut res ex mea in alterius possessionem transeat: **T R A D O** ius, dum efficio, ut exercitium iuris transeat ex mea in potestatem alterius (§. 271.).

1. Ope mandati traditio per tertium et tertio fieri potest (§. 410.).

2. Traditio rei immobilis dicitur **I M M I S I O**.

### §. 416.

Per traditionem itaque acceptans incipit obtinere *facultatem physicam*, re utendi, ius exercendi (§. 307. et 271.).

Non vero incipit obtinere *facultatem moralē* seu ius in obiectum traditum, nec ideo quae nouum ei ius per traditionem quaeritur: quum omne ius ex solo pacto sit deriuandum (§. 387.).

### §. 417.

*Dominium est ius* (§. 325.). Ergo si qui paciscantur de dominio rei transferendo: pactum efficit, ut dominium adquiratur; non demum traditio.

1. Omne suum dat ius contra quemcumque, ne turbet: ergo et suum pactitium. Cum hoc iure connexa obligatio cuiuslibet negatiua (§. 87.), siue suum pactitium traditum sit, siue minus (§. 241.).

2. Quodsi traditio nondum facta: promittenti incumbit obligatio ad tradendum, quae obligatio a) soli promittenti inhaeret, seu est *personalis*, et b) est *adfirmativa*.

3. Traditione facta haec obligatio promittentis cessat, nec ultra tenetur nisi obligatione a) niversali omnibus incumbenti, quam dicunt *realem*, quae b) est negatiua (n. 1.).

4. In hoc sita est differentia genuina iuris in suum pactitium ante traditionem et post traditionem. Quae si conferas cum ICtorum Romanorum *iure ad rem et in re*: facile perspicies, hanc distinctionem fictam minus recte in *Ius Vniuersale* intrudi.

5. Ex hoc figmento enatum aliud: *traditio nimirum longa manū et symbolica*, quae locum hic tueri pariter nequeunt.

## §. 418.

Promittens idem obiectum quod pacto alteri promisit, tertio postea iterum promittere nequit. Eo enim ipso momento, quo pactum est sancitum, obiectum promissum cessat esse suum promittentis, et euadit alienum (§. 387.). Itaque alienatio rei per pactum iam ante alteri promissae, est inualida.

1. Hinc dicitur *pactum prius derogare pacto posteriori.*

## §. 419.

*Quantum* promittens transfert, tantum acceptans adquirit:

- 1) siue quid faciendum seu dandum promiserit,
- 2) siue rem corporalem seu incorporam,
- 3) communionem iuris seu eius proprietatem,
- 4) dominium rei corporalis seu condomini-  
um,
- 5) dominium plenum vel restrictum, usum  
aut ius singulare,
- 6) seu quocumque aliud suum, perpetuum  
aut temporarium, in acceptantem transtulerit  
promittens.

## §. 420.

## §. 420.

Quo modo et sub quibus determinationibus promittens suum transfert: eodem modo et sub iisdem determinationibus acceptans alienum adquirit.

Hinc

1) Si *locus*, vbi; vel *tempus*, quando traditio facienda, est adiectus: promittens eo loco, eo tempore tradere obligatur.

2) Qui alterne promittit, alterne debet, et habet ius eligendi (ius optionis) in praestando: qui alterne acceptat, habet ius eligendi in poscendo. ALTERNE vero promittit vel acceptat, qui ex pluribus determinatis vnum promittit vel acceptat, reseruato sibi iure eligendi.

3) qui COPULATE id est plura simul promittit, etiam copulate seu plura simul debet.

## §. 421.

Sub quibus conditionibus promittitur: sub iisdem queritur ius, contrahitur obligatio.

CONDITIO autem in iure significat omnem euentum, a cuius existentia vel non-existentia ius atque obligatio pendet.

## §. 422.

## §. 422.

Conditio consideratur vel quoad evenientum,  
vel quoad effectum.

## §. 423.

Quod attinet *evenientum*: is est vel possibilis  
vel impossibilis, uterque vel physice vel mora-  
liter talis.

## §. 424.

Euentus physice possibilis vel ab arbitrio  
hominis, vel minus seu a fortuna pendet, vel  
ab utroque simul. Hinc dicitur POTESTA-  
TIIVS, CASVALIS, MIXTVS: unde CON-  
DITIO POTESTATIVA, CASVALIS, MIXTA.

## §. 425.

Conditio moraliter possibilis est IUSTA,  
moraliter impossibilis INVISTA, seu TURPIS.

## §. 426.

Omni conditioni physice aut moraliter pos-  
sibili standum (§. 411.). Conditio vero physi-  
ce impossibilis pactum annullat, moraliter im-  
possibilis seu turpis pactum vitiat (§. eod.).

## §. 427.

## §. 427.

Quod attinet effectum iuridicum conditionis seu ius atque obligationem inde pendente: **C O N D I T I O** vel differt effectum, ut constituatur a termino euentus; vel constituit, ut tollatur. Illa vocatur **S V S P E N S I V A**, haec **R E S O L V T I V A**. Utique, quatenus non impossibilis, standum (§. 411.).

## §. 428.

Ad **P A C T A** conditionata referri debent, quae **A L E A M C O N T I N E N T**, id est, quae sub conditione casuali seu euentu incerto ineuntur.

I. Varia sunt huius generis pacta: *sors, lotaria, olla fortunae, sponsio, contractus lusorius, assecuratio, emtio spei, cet.*

## §. 429.

Pactorum permulta sunt *species*. Indigtauimus pacta expressa et tacita (§. 401.), conditionata vel non-conditionata (§. 421.), quae et vocantur pura. Subiicienda, quae sequuntur.

## §. 430.

**R E P R O M I T T O**, si mihi promittenti quid promitto.

Alia pacta continent simul repromissa, alias minus

minus. Haec dicuntur BENEFICA seu GRA-TVITA seu VNILATERALIA: illa ONE-ROSA seu BILATERALIA.

i. In censu beneficorum est donatio, pa-tum commodati, depositi atque mandati gra-tuiti,

### §. 431.

Pacta onerosa longe frequentiora, quum et indoles humana ad accipiendum, quam dan-dum, sit proñior, atque indigentia mutua in-crescens mutua auxilia redderet indies magis necessaria,

Hinc et ea est communis omnium pactio-num onerosarum natura, vt, quantum promit-tens transferat, tantum a repromittente reci-pere velit.

### §. 432.

Itaque comparari inter se, quidquid mu-tuo transferendum erat, et quantum maius vel minus tribui rebus, iuribus, operis coepit.

### §. 433.

Si tibi rem meam do, vt tantumdem mi-hi reddas; necesse est, vt quantitas rei tuae de-terminetur ex quantitate rei meae, seu vt vtri-usque definiatur *ratio*.

## §. 434.

Eiusmodi heterogenea rationem physicam non habent, itaque arbitrio hominum determinari debuit ratio.

## §. 435.

Quantitas, quae entibus vtilibus ex arbitrio hominum tribuitur, vt eorum ad se inuicem ratio definiri possit, PRETIVM seu VALOR dicitur, idque cum addito: VULGARIS.

## §. 436.

Omnis acquisitionis finis est vtilitas: hinc pretium est quantum factum, quod enti vtili qua tali, seu respectu eius vtilitatis, tribuitur.

## §. 437.

Cuilibet rebus, iuribus, operis suis pretium maius vel minus pro lubitu tribuendi, illudque omni momento immutandi, augendi, minuendi, prout sibi videtur, ita fas est. Standum quippe cuiusuis iudicio in determinando pretio eius, quod suum est (§. 279.).

## §. 438.

Premium vulgare perquam difficulter saepius ad commutanda auxilia adhibetur. Quodsi

enim

enim, ut solet, contingat, ut, quum tu haberes, quod ego desiderarem; inuicem ego non haberem, quod tu recipere velles: qua ratione pretium vulgare indigentiae mutuae subuenire potest?

Hinc excogitata res, ex cuius valore valor omnium entium utilium commode determinari posset. Quatenus rei eiusmodi valor tribuitur, eatenus ei competit mensura valoris entium utilium quorumuis, quae dicitur PRETIUM EMINENS, et res talis, cui tribuitur pretium eminens, vocatur PECVNIA.

### §. 439.

Pactum, quo suum pacientium mutuo transfertur, vocatur CONTRACTVS, qui coincidit cum pacto onerofo (§. 430.).

Validitas itaque contractus omnis est eadem cum validitate pacti.

### §. 440.

Omnium contrahentium est finis ordinarius, ut sit aequale, quod mutuo transfertur (§. 431.). Sed haec aequalitas a iudicio cuiuslibet pendet (§. 279.). Ergo aequale est, quod uterque contrahens aequale iudicat.

## §. 441.

Qui igitur contrahunt, declarant, se aequaliter iudicare, quod mutuo transferunt. Ergo inde cuiuslibet contrahenti ius est, id quod transmisit, aequaliter iudicandi ei, quod acceptauit (§. 382.). Quodsi error alterius adsit, habeat sibi. Hinc error, nisi invincibilis, non annullat contractum (§. 405.); dolus vero vitiat (§. 404.).

I. LAESIO itaque ULTRA DIMIDIVM  
ignoratur iure naturali.

## §. 442.

Contractus vel intercedente pecunia sanc-  
tetur, vel minus: posterior in genere vocatur  
**PERMUTATIO.**

I. PERMUTATIO fit dando vel faciendo  
(§. 390.). Dantur res vel iura in res, fiunt  
seu praestantur opera. Hinc permutatio con-  
tingit contractum

- a) Do ut des,
- b) Do ut facias,
- c) Facio ut facias.

2. Ad contractus, qui interueniente pecu-  
nia perficiuntur, referenda *emtio - venditio, lo-*  
*catio - conductio, cet.*

3. Speciebus contractuum non immoramus;  
cum seges eorum sit fere infinita. Qui nego-  
tium, de quo contrahitur, intelligit, contra-  
ctus conditiones perspicit, et principia genera-  
lia applicat: errare non facile poterit.

## §. 443.

Sufficient haec de pactionibus. Pactum esse modum acquirendi deriuatiuum euicimus (§. 388.). An alii supersint in statu naturali acquirendi deriuatiue modi, certant doctores.

## §. 444.

Quaeritur, an alienum adquiri possit ex derelictione praesumta? siue, quod idem est, an Praescriptio sit iuris naturalis?

P R A E S C R I P T I O enim seu VSCVCAPIO vocatur modus, acquirendi alienum ex derelictione praesumta.

## §. 445.

Possideo aliquid ex multo tempore; alter id suum esse venditat: ergo hic probare teneatur, id esse suum. Probat fuisse suum: tum posse for crepat derelictionem; haec ei probanda. Nequit expressam; instat tacite rem esse derelictam: Probandum hoc ei ex facto (§. 362.). Nihil probat: tum ad *derelictionem praesumtam* tamquam ad aram salutis confugit, atque hoc argumento vtitur: qui scit rem suam ab alio possideri, nec multo tempore contradicit, quum nullum adsit impedimentum, is eam dereliquisse iudicandus

est, et vterius: nam qui non facit, quod facere poterat et debebat, is non facere velle, ergo consentire iudicatur seu praesumitur.

### §. 446.

Et verum quidem est, possessori ius esse talis iudicandi alterum, qualem se ipse declarauit (§. 382.). Ergo iuste rem alterius tamquam suam possidet, quatenus alter non contradicit, quum nullum adsit impedimentum contradicendi.

Sed hac non-contradictione, quae continet declarationem per factum omissuum, minime ad derelictionem, quae continet factum commissivum, argumentum duci potest. Nam et precarium sub hac non-contradictione continetur, seu concessio ad usum vel usumfructum, quam diu concedenti libuerit.

### §. 447.

Itaque derelictio praesuma non est modus adquirendi, ideoque usucapio iure naturali ignoratur.

I. Si *praescriptionem* definiueris per modum adquirendi ex diuturna possessione, iusto titulo et bone fide stipata; facilitiori adhuc negotio confunditur *praescriptio*. Nam

a) pos-

- a) possessio inuoluit factum, non ius (§. 307.);
- b) diuturnitas temporis ex principiis iuris vniuersalis definiri nequit;
- c) bonam fidem et iustum titulum ut probet praescribens, adigi nequit, quum quilibet iustus sit iudicandus ob existimationem bonam simplicem (§. 373.), donec probetur contrarium.
- d) Sed nec bona fides et iustus titulus operari quid possunt, nisi acquisitionem ad interim, donec appareat verus dominus (§. 318.).

### §. 448.

Restat, vt intueamur alium acquirendi modum. Quaeritur, qua ratione adquirantur bona defuncti?

Bona defuncti dicuntur HEREDITAS; modus hereditatem acquirendi vocatur SUCCESSIONE, et is qui ius habet in hereditatem, nuncupatur HERES.

### §. 449.

Defunctus aut disposuit de hereditate sua, aut minus. Si disposuit; aut per modum pacti, aut absque pacto heredem constituit.

### §. 450.

Si nihil disposuit; bona defuncti fiunt res nullius, et cedunt occupanti. Hoc itaque casu successio est species occupationis.

1. Successio, quam in defectum dispositio-  
nis defuncti lex ciuilis determinat, et quac ab  
*intestato* vocatur, in statu naturali locum  
habere nequit. Nam vbi societas exulat; nec  
liberi, nec parentes, coniuges, fiscus cogitari  
possunt. Aliorum vero ius in hereditatem de-  
functi praecipuum quo argumento demonstra-  
ri poterit? Contradicit id potius identitati iu-  
rium omnibus hominibus communii (§. 273.).

### §. 451.

Si pacto disposuit; dicitur pactum eiusmo-  
di, quo quis in euentum mortis bona sua trans-  
fert in alterum, PACTVM SVCCESORIVM:  
si absque pacto disposuit; oritur nuda volun-  
tatis declaratio, quisnam secuta morte nostra fit  
heres noster, quae vocatur TESTAMENTVM.

### §. 452.

Quum quilibet et in praesens et in futurum  
de suo disponere possit (§. 326.): pacta etiam suc-  
cessoria valere, in aprico est. Heres itaque ex  
pacto successorio bona defuncti adquirit.

### §. 453.

De testamentis multa disputantur. Conce-  
dimus,

1. non esse iniustum, disponere testamento, ita  
scilicet, vt voluntas disponentis sit ambulatoria,

2. largimur, iuste agere heredem ex testa-  
mento,

mento, dum bona testatoris defuncti apprehendit cum animo, ea sibi propria habendi,

3. damus, eum fieri hoc modo hereditatis dominum.

### §. 454.

Sed de eo respondendum: an haec defuncti dispositio testamentaria obliget reliquos homines, ut abstineant a defuncti bonis, ita ut heredi ex testamento per mortem defuncti nascatur in hereditatem ius praecipuum.

### §. 455.

Dubium iam diu obmouetur: ante mortem testatoris nullum heredi ex testamento ius adquirendi est quaesitum: existente vero testatoris morte huic nullum ius transferendi hereditatem superstet. Ceterum quaestio haec theoretica magis est quam practica.

### §. 456.

Ex dictis de praescriptione, de successione ab intestato et ex testamento elucet, in eo statu naturali, quo suum nondum laesum cogitantur, nos ignorare alium modum adquirendi derivatiuum, quam pactum.

### §. 457.

Pactis saepe accedit *cautio* et *iuramentum*,

quae in eo generatim conueniunt, quod faciant ad firmandum ius atque obligationem, faciant ad maiorem eius, quod suum est, securitatem. Etenim saepe nobis metuendum est, ne alii ius nostrum nobis non tribuant, et obligationi sub satisfaciant. Vbi vero nobis malum imminet, seu vbi in PERICULO quodam constituti sumus, quod denotat statum mali imminentis: ibi ex principio conseruationis quaerit homo SECURITATEM, id est statum a periculo vacuum.

Hinc inuenta media, quae de iure nostro conseruando, de alterius obligatione nos redderent securiores.

### §. 458.

C A V E T mihi, qui mihi acceptanti aliquid promittit in securitatem iuris mei.

C A V T I O itaque est pactum in securitatem iuris alicuius, seu  $\tau\tilde{\nu}$  suum seu in securitatem a laefione sancitum.

I. Cautio accedere potest non tantum patris seu suo per pactum quaesito; sed et cuncto alii debito seu credito, immo et omni iuri nostro in aliud et alterius in nos obligationi.

### §. 459.

Cautio in eum finem exigitur et praestatur,

vt, si obligatus non satisfecerit qbligationi suaे erga eum, cui cauetur; huic tamen inde nihil damni sit metuendum.

### §. 460.

Per pactum quaeritur acceptanti ius (§. 388). Itaque is, cui cauetur, per cautionem adquirit nouum ius in securitatem prioris: quale ius, quod in securitatem alius iuris adquiritur, vocatur **IUS IN SVB SIDIVM** seu **SVB SIDIARIVM**; inde et ius illud prius vocare solent **IUS PRINCIPALE**.

### §. 461.

Itaque vt valida fiat cautio, requiritur  
 1) omne id, quod ad pactum validum est  
 necessarium (§. 411.).  
 2) et simul, vt ius principale, seu illud, in  
 cuius initur securitatem cautio, sit validum.

### §. 462.

Si enim ius principale est nullum; eius correlatum obligatio est nulla, nulla ex omissa praestatione obligationis laesio, nullum exinde damnum, nullum ius ex cautione nasci potest.

Hoc igitur sensu verum est, cautionis eam  
 esse indolem, vt per se ipsam minime subsistat;  
 sed

sed sequatur naturam iuris vel obligationis,  
cui adiungitur.

### §. 463.

Cautio est pactum cum conditione suspen-  
siva (§. 359. et 427.).

### §. 464.

Sublato quomodocumque iure principali  
tollitur cautio (§. 462.). Hinc cautio simul  
continet conditionem resolutiuam (§. 427.).

1. Ius illud nouum, per cautionem quaesi-  
tum, vel *in personam* vel *in rem* constituitur.

2. *Persona cauens* est vel *ipse debitor* vel  
*quilibet tertius*. Ad cautiones prioris generis  
pertinet *pactum poenale*, *obstaculum*, *depositum*  
*pecuniae*, *lex commissaria*; ad posteriorem pree-  
primis *fideiussio*.

3. Ad cautiones, quibus *ius in rem* datur,  
refer *hypothecam*, *pignus*, *pactum antichreticum*.

### §. 465.

Solent et *iureiurando* armari promissiones pa-  
titiae aliaeque obligationes. Iusiurandum est  
species contestationum. CONTESTATIO seu  
ADSEVERATIO est sermo, quo quis verbis  
specialibus affirmat, se veritatem eloqui.

1. VERITAS hic intelligitur non logica,  
sed MORALIS, conuenientia scilicet verbo-  
rum cum mente, id est cum cogitationibus  
vel voluntate nostra.

### §. 466.

## §. 466.

Contestatio, qua deus tamquam testis veri, vindicta falsi inuocatur, est IUSIURANDVM seu IVRAMENTVM.

## §. 467.

Iuramenti finis est, vt is, cuius gratia iuratur, certior fiat de mente iurantis, ea scilicet cogitare aut serio velle iurantem, quae cogitare aut velle declarat.

Hinc, si pacto additur iuramentum; promittens affirmat se pactum seruaturum, affirmat fidem suam (§. 394.).

I. IVRAMENTVM, quo affirmatur veritas cogitationum; vocari solet AD SERTORIVM: quo veritas voluntatis; PROMISSORIVM.

## §. 468.

Certiores vero euadimus de mente iurantis mediante nouo motiuo, quod iurantis declarationi annexitur, omnipraesentia scilicet et vindicta diuina. Hoc motiuum nouam obligationem iuranti imponit respectu dei: non vero respectu hominis, cui iuratur.

Ergo iusiurandum per se ipsum nouam obligationem naturalem (§. 227.) non producit.

Itaque vt mihi ius sit ex iuramento alterius,  
suppo-

supponitur ius quoddam prius, obligatio iurantis praeuia, quae per iuramentum confirmatur.

### §. 469.

Iuramentum igitur

- 1) si accedit obligationi spuriae ex. gr. e pacto nullo vel iniusto : nullum ius tribuit, obligationem vitiosam non sanat, pactum inualidum non reddit validum :
- 2) contra si accedit obligationi fundatae, promisso valido ; illud corroborat.

1. Iuramentum igitur, uti cautio, sequitur naturam obligationis, cui additur. Qui obligatur ad promissum seruandum : is si iurat se pactum adimpleturum ; obligatur etiam ad iuramentum seruandum. Contra qui iure naturali nihil debet ex promisso vitioso : is nec obligatur ad illud promissum iure iurando confirmatum.

### §. 470.

IURAMENTVM est VALIDVM, quatenus iurans ad id, quod iurauit, perfecte tenetur. Qui iuramentum validum violat, vocatur PERIURVS.

Vnde colligimus,

- 1) non omnem iuramenti violationem esse periurium,
- 2) periurium inuoluere laesionem, atque in specie


specie mendacium (§. 364.), et perjurium circa pactum commissum simul continere perfidiam (§. 394.).

3) et, quum sermo dolosus perfectionibus Dei contrarius sit blasphemia ; perjurium dolosum esse blasphemiam.

### §. 471.

Ceterum quum iusiurandum ad confirmandam obligationem naturalem, consequenter ad obseruantiam legum naturae meliorem pertinet : per se patet, iurare nihil continere iniusti.

Vnde et iuste exigitur ab idololatra, quantumuis hoc casu in imaginariae diuinitatis inuocatione consistat.



IVRIS NATVRALIS HYPOTHETICI  
TITVLVS V.

DE

MODIS IVS ATQVE OBLI-  
GATIONEM TOLLENDI.

§. 472.

**P**erspeximus, qua ratione constituatur suum  
tum connatum tum adquisitum: consequen-  
ter quomodo oriatur ius et connatum et quaesi-  
tum, oriatur obligatio connata et contracta. Ut  
vno intuitu comprehendantur omnia: sequentia  
notemus.

§. 473.

Iura connata et obligationes connatae cum  
ipsa hominis existentia oriuntur: hoc est, po-  
sito homine in statu naturali absoluto, ponun-  
tur eius iura connata et obligationes connatae  
(§. 264.).

§. 474.

E contrario quum iura quaesita tum etiam  
obligationes contractae praeponunt factum (§.  
264.). Illud vero hoc loco non aliud quam  
*iustum* supponimus: quandoquidem, quae iura

et

et obligationes nascantur ex laesione, infra exponemus.

§. 475.

Id, in quod *ius* adquiritur, vel res nullius (§. 292), vel alienum est (§. 384), vel accessorium mei (§. 333.). Factum, quo in rem nullius adquiritur ius, vocamus occupationem (§. 303.): quo in alienum, appellamus pactum (§. 387.). Ex utroque facto, quatenus adquisita fuit res, ius simul adquiritur in accessorium rei adquisitae, vnde originem trahit accessio (§. 338.).

§. 476.

Similiter obligatio contracta supponit factum. Hoc factum, quatenus ponitur esse iustum, non consistere posse nisi in pacto, quo vel ad dandum vel ad faciendum aliquid, uno verbo, ad praestandum aliquid alteri nos obstrin-gimus, demonstratum est (§. 456.).

§. 477.

His de iuriis atque obligationum *constitutione* praefactis, videndum nunc, quomodo tum iura tum obligationes tolli possint.

## §. 478.

Vniuersalis omnium omnino iurium atque obligationum tollendarum modus est *mors*. Mors adimit omnia iura, liberat ab omni obligatione. Cesante enim ente cessant omnes entis affectiones : cessante homine cessat eius suum, eius iura, eius obligationes.

1. Mortuorum itaque ut et nondum natorum (§. 473.) nulla in statu naturali iura, nullae obligationes.

## §. 479.

Non vero ita argumentari licet : Quia cum vita cessant omnia defuncti iura et obligationes : ergo et cessant alterius viuentis obligationes, quae iuribus defuncti ; aut iura, quae obligationibus defuncti respondent. Dantur enim

1) iura quae sita, quae transmissibilia sunt ad heredem : haec si per pactum successorum transmittuntur ; heres surrogatur in locum defuncti, et eius iura adquirit (§. 452.).

2) Dantur obligationes contractae circa rem. Quicumque heres defuncti in eiusmodi rem succedit, succedit simul in obligationes circa rem.

1. Iura et obligationes, quae transfire in alium nequeunt, vocantur *personalissimae* : quae transfire possunt, *transmissibiles*. Itaque personalissimae simul extinguntur, transmissibiles minus :

minus: quippe quae tantum quoad defuncti personam cessant.

### §. 480.

In specie *iura connata* tolluntur, dum obligatio iis opposita contrahitur: ita ut, quatenus obligatio contrahitur, eatenus ius connatum extinguitur.

Obligatio autem, quae facto iusto contrahitur, pactum inuoluit (§. 476.). Ergo modus tollendi iura connata est pactum.

### §. 481.

*Obligationes connatae* tolluntur, dum iis opposita iura adquiruntur: ita ut, quatenus ius adquiritur, eatenus obligatio connata tollatur.

Iura autem adquiruntur in res nullius occupatione, in alienum pacto, in accessoria ex lege (§. 475.). Ergo modus tollendi obligationes connatas vel occupatio est, vel pactum, vel accessio: quae tria omnia explicata dedimus.

Igitur non est, ut modis tollendi iura connata et obligationes connatas vterius immoremur. Transeamus potius ad modos tollendi iura quaesita atque obligationes contractas.

### §. 482.

De iuribus quae sitis et obligationibus con-

tractis haec generalis est propositio : omne ius quae situm in rem singularem, et omnis obligatio contracta ad praestandam rem singularem extinguitur interitu rei casuali : cessante enim re, cessant et eius affectiones, cessant consequenter iura et obligationes, quae ab homine respectu eius rei quae sita vel contractae fuerunt.

1. Hinc casum sentit dominus, quod generalius ita exprimitur : *pereunte re perit omne ius in rem*, siue id ius sit dominium, siue seruitus, siue quocumque aliud ius.

2. Non vero ius quae situm in genus rerum, nec obligatio contracta ad praestandam rem in genere extinguitur interitu rei alicuius, sub hoc genere contentae. Hinc in emtione-venzione, re nondum tradita, casum emitor sentit : sed periculum pretii non vicissim venditor sustinet.

### §. 483.

Ceterum in specie ius quae situm vel est in rem, vel in personam.

*Ius in rem tollitur vel casu vel facto.* Casum, qui aut in morte aut in interitu rei casuali consistit, iam perspeximus. Superest factum, quo tollitur ius in rem quae situm. Factum illud vel continet pactum, vel minus.

Facto, quod pactum non continet, ius in rem tollitur

X) abusu

- 1) abusu et destruictione rei (§. 345),
- 2) derelictione rei (§. 347):  
Facto, quod pactum continet, alienatione (§. cod.).

### §. 484.

*Ius quaesitum in personam tollitur, dum obligatio alterius ad faciendum vel dandum tollitur.*

*Obligatio contracta tollitur, simul atque pactum, quo contracta est, exspirat (§. 476.).*

Itaque inuestigando modos, quibus *pactum* tollitur, simul de modis, obligationes contractas et iura in personam quaesita tollendi, constabit.

### §. 485.

*Pactum vel casu vel facto exspirat.*

*Casu, si*

- 1) deficit alter pacifcens,
- 2) si interit res danda,
- 3) si initum sub conditione resolutiua vel suspensiua; illa existente, hac non existente seu deficiente.

1. Hinc quod in diem promissum, veniente die seu lapsu temporis; et quod sub conditione existente promissum, defectu conditionis deberi cessat.

2. Ad conditiones resolutius pertinet etiam mutatio status, si contemplatione status certi ad aliquid praestandum obligati sumus. Continet enim pactum eiusmodi conditionem resolutiuam vel expressam vel faltem tacitam.

### §. 486.

*Facto* pactum tollitur vel *plene*, dum omnis obligatio cessat; vel *minus plene*, dum obligationem sublatam excipit alia.

### §. 487.

*Plene* tollitur vel solutione vel pactis contrariis.

### §. 488.

**SOLVATIO** est actualis praestatio debiti. Per solutionem tollitur obligatio adfirmativa ex pacto (§. 417.).

Soluendum vero est praecise id, quod debetur, et eo modo, ex: gr. loco, tempore cert. quo modo debetur.

Hinc et soluit debitor rem, si ita sese extra possessionem rei constituit, ut in creditoris potestate sit, eam apprehendere.

1. Hinc *oblatio* rei mobilis *debitae*, *obsignatio* et *depositio* vice solutionis funguntur, et casum in rebus eiusmodi oblatis, obsignatis, depositis; licet si etiam in genere tantum vel quanto promissae fuerint, sentit creditor.

### §. 489.

## §. 489.

Ad pacta contraria refer MVTVVVM DISSENSVM, qui inuoluit consensum reciprocum pacto pristino e diametro oppositum.

## §. 490.

Porro huc pertinet REMISSIO DEBITI, quae et dicitur CONDONATIO, atque est declaratio creditoris, se nolle, ut debitor debitum praester.

Quatenus remissio continet pactum, eatus tollit debitum seu obligationem.

i. Huius species est ACCEPTILATIO, seu actus, quo creditor verbis declarat, se debitum ferre acceptum, perinde ac si reuera solutum fuisset, et PACTVM DE NON PETENDO, quo inter debitorem et creditorem ita conuenit, ne debitum sit soluendum. Eiusmodi pacta dicuntur liberatoria.

## §. 491.

Vt et COMPENSATIO, quae continet actum, quo debitor debitum soluturus in solutum imputat creditor i, quod ipse debet.

Si debitor et creditor conueniunt de inuicem compensando, quod inuicem debent; tollitur obligatio contracta.

## §. 492.

Denique D A T I O I N S O L V T V M , quae est actus , quo alia r̄es loco debiti soluitur.

Si creditor et debtor conueniunt de datione in solutum , per eam obligatio contracta tollitur.

## §. 493.

*Minus plene* pactum tollitur , dum obligatio contracta mutatur : quod fit vel mutato eo quod praestandum est , vel mutatis pacifcentibus.

## §. 494.

Prior species N O V A T I O dicitur , quae est mutatio obligationis prioris in aliam , quoad causam vel modum debendi , eodem creditore ac debitore manente.

Haec quoque , vt tollat priorem obligationem , requirit mutuum consensum seu pactum.

## §. 495.

Posterior species oritur , dum vel creditor vel debtor mutatur.

## §. 496.

*Debitor* mutatur in D E L E G A T I O N E , quae est pactum , quo debtor vice sua aliud debitorum creditori substituit .

Prior

Prior debitor vocatur *delegans*, posterior *delegatus* seu *expromittens*, et eius actio dicitur *expromissio*; creditor vero *delegatarius*.

Vt *delegantis* obligatio tollatur, requiritur consensus *delegantis*, *delegati* et *delegatarii*.

### §. 497.

*Creditor* mutatur in **CESSIONE**, quae est actus, quo quis ius suum quae situm in personam transfert in aliū.

#### Cessio

- 1) iuris personalissimi requirit consensum et cedentis et cessionarii et debitoris (§. 479.),
- 2) iuris transmissibilis perficitur citra debitoris consensum.



## LIBRI I.

## IVRIS NATVRALIS

## CAPVT III.

DE

MODO IVS SVVM PERSE-  
QVENDI

IN

## STATV NATVRALL.

## §. 498.

**E**xplicuimus hactenus, quae in statu naturali ad cognoscenda varia sui tum connati tum adquisiti genera, et ad iura cum iis connexa obligationesque correlatas pertinent. His omnibus nunc iungamus laesione*is* ideam, et, quae ex suo laeso nouae nascantur iuris ac obligationis determinationes, perquiramus. Nimirum hactenus statum naturalem *ante laesionem* seu citra respectum laesione*is* considerauimus, nunc eumdem, prout*i* in laesione*est*, ponderabimus (§. 262.).

## §. 499.

Laesione*m* esse violationem eius, quod suum est

est, seu quamcumque actionem contra legem naturalem (§. 245.); cum omni laesione connexum esse damnum laesi (§. 242.), connexumque simul ius eius actuale (§. 197.), supra euicimus.

Qui itaque laeditur, iuste *exercet coactio-*  
*nem* contra laedentem.

### §. 500.

Finis huius iuris est, vt id, quod nostrum est, conseruemus (§. 196.), vt ne laedamur, vt damni nihil nobis infligatur.

Ex quo iure ad finem intelligitur ius ad omnia media coactiva, quibus efficitur, vt nostrum conseruemus.

Vltra vero hunc finem facultas cogendi non extenditur. Itaque ex limite huius iuris intelligitur simul limes coactionis iustae.

### §. 501.

Qui cogit, is determinat alterum, vt inuite agat vel patiatur (§. 50.), ideoque ei mala infert seu ei nocet (§. 10.), consequenter suum alterius connatum vel acquisitum inuadit.

Si mala ita alteri inferuntur, vt eius vita in discrimen deducatur; eiusmodi actus externi vocantur VIOLENTIA seu VIS in sensu specialissi-

mo. Violentia itaque est coactio cum periculo vitae alterius coniuncta.

### §. 502.

Laedens iuste cogitur, donec laedere desistat. Vtrum inuadere suum connatum an quae-  
sum, res, iura, personam, vitam laedentis satius  
ducatur laefus: huius iudicio relinquendum est  
(§. 279.). Si laedens interea turbare non desis-  
tit; in infinitum ius laefi porrigitur in omne  
suum laedentis, adeo ut etiam cum internecio-  
ne laedentis suum conseruare per ipsam de se se-  
conseruando. legem laefo fas sit (§. 195.).

Quapropter quum facultas nocendi laefo  
concedi debeat: ius ei est, coactionem etiam  
cum periculo vitae laedentis coniunctam ei infer-  
rendi, ideoque ius, *violentiam* contra laeden-  
tem *adhibendi*.

### §. 503.

Laefus siue violentiam *aetibus occultis* seu  
*manifestis* exerceat: iure exercet.

### §. 504.

Laefus si declaratum propositum habet, lae-  
denti mala violenter inferendi: iuste habet (§.  
279.).

Propositum eiusmodi respectu alterius vocatur **HOSTILITAS**, et is, cui est tale propositum, seu qui hostilitatem in alterum exercet, nuncupatur **HOSTIS**.

**Laesus** itaque in laedentem habet ius hostis.

### §. 505.

Quodsi alter violentiam adhibet ; alter vero vim vi repellere molitur : oritur status plurium, qui sibi inuicem mala violenter inferre ex declarato proposito conantur, seu qui hostiliter erga se inuicem agunt, qui status dicitur **BELLVM**.

Bellum itaque est status hostilitatis mutuae.

Bello opponitur **PAX**, quae complectitur statum a bello vacuum.

1. Si *bellum* vocatur status per vim certantium, idem nobiscum intelligitur.

### §. 506.

Competit itaque laeso ius belli in laedentem.

1. Ius belli, quatenus ut ius euentuale concipitur, a natura cuicunque competit (§. 197.) ; quatenus ut ius actuale, supponit laes ionem. Hinc lex est iuris mere naturalis : *Nemini bellum infer, antequam te laedat.*

2. Vnde et deriuatur lex : *Pacem cole, quoad haberi potest.*

3. Ius belli actuale supponit laes ionem, laesio factum iniustum. Nemo autem nascitur iniustus

iniustus (§. 373.). Itaque tantum abest, vt a natura detur bellum, id est ius belli omnium contra omnes, vt potius a natura pax omnium cum omnibus reperiatur.

4. Quum laeso in laudentem omnia liceant, donec turbare desistat (§. 502.): intelligitur, quatenus verum sit: *hosti in hostem omnia licent.*

### §. 507.

Bellum per se et *iustum* et *iniustum* esse potest. Laesio *passiva* efficit bellum iustum, id est laesio alterius in me efficit, vt bellum meum in alterum sit iustum. Remoue laesionem, bellum existit iniustum.

Hinc sola et vnica cauſa belli iustifica est laesio.

### §. 508.

Quidquid in bello iusto hosti aufertur, illud iuste aufertur (§. 502.). Ergo in id, quod ita aufertur, ius quaeritur, seu id quod bello iusto hosti eripitur, efficitur suum. Eatenus *ereptio bellica*, quae aliis dicitur *occupatio bellica*, est modus acquirendi.

Contra bellum iniustum est laesio continua-  
ta (§. 243.).

### §. 509.

Competit ius belli contra quamcumquae laesionem. Siue itaque

I) laesio

- 1) laesio sit moralis siue non-moralis,
- 2) dolosa aut culposa,
- 3) committendo fiat aut omittendo,
- 4) mediate vel immediate,
- 5) solitarie aut cum sociis,
- 6) positivae aut priuatiae,
- 7) cum lucro laedentis vel sine eius lucro : contra omnem et singulam datur ius belli.

1. Nec discrimin quoad effectum iuris est statuendum, an *laesio sit leuior*, utrum *grauior*: vt inde et remedium mitius aut durius sit amplectendum. Si enim contra leuiores laesiones bellum est iniustum: laesus obligaretur, bellum non inferendi, laedenti esset ius laedendi, quod est contradictorium (§. 157, et 198).

### §. 510.

Non vero est laesio, quae fit volenti. Quod si enim quis consentit, ut suum ab altero immuniatur; oritur pactum iustum: et qui ex pacto iusto agit, non agit contra legem perfectam (§. 387.).

1. Hinc volenti non fit iniuria. Magni haec limitatio est momenti. Per consensum, per voluntatem meam efficere possum, ut omne ius meum cesseret esse meum (§. 281), vel fiat alterius (§. 284).

2) Quotiescumque igitur consentio, ut alter id quod meum est, mihi demat: qui demit, non ausert id, quod adhuc meum est; sed quod est non-meum; ideoque non laedit.

3. Ergo lex : *abstine ab alieno semper supponit*, alterum non consentire, vt suum apprehendam, ideoque hanc tacitam habet exceptionem : nisi alter consentiat.

4) Siue autem hic *consensus* sit *praecedens*, siue *concomitans*, siue *subsequens* : eadem ubique est decisiō. Simul atque *consensus* adest, tollitur idea laesione.

### §. 511.

**LAESIO** intuitu temporis triplex concipi potest : **PRAETERITA**, quae iam illata est; **PRAESENS**, quae actu infertur; **IMMINENS**, quae certo vel probabiliter est metuenda.

PROBABILITAS vero laesione colligitur ex factis alterius, quibus conatum efficacēm nos laedendi commonstrat.

### §. 512.

Laesio est causa damni (§. 242). Hinc ex speciebus laesione determinantur damni species. Aliud damnum est *illatum*, aliud *præsens*, aliud *imminens*.

### §. 513.

Datur ius belli non modo contra laesione illatam et præsentem ; sed etiam contra imminentem. Facultas enim cogendi datur, vt conservemur, vt ne turbemur (§. 195). Ergo non tantum datur, vt conseruationem turbatam recuperemus.

cuperemus; verum etiam, ne patiamur, ut quis incipiat conseruationem turbare. Contradiccio in adiecto est: ius fese conseruandi et obligatio perfecta exspectandi, donec alter actu damnum inferat.

### §. 514.

Hoc principium sufficit, si laesio certo imminet. Quid vero, si tantum probabiliter? Probabilitas ex factis alterius colligitur. Si talia facta alter edit; declarat se velle laedere, ideoque iuste habetur pro laedente (§. 382).

### §. 515.

*Ex laesione illata* deducitur ius laesi, exigendi a laesio, ut damnum datum cesset: cui iuri respondet in laedente obligatio efficiendi, ut damnum datum cesseret, id est REPARANDI DAMNUM VIM.

Ergo ex laesione illata oritur ius laesi, exigendi reparationem damni dati a laedente.

### §. 516.

Damnum laesi cessat, consequenter reparatur damnum: si laedens idem, quod subtraxit, laesio reddit. Illud idem, quod reparando redditur, vel est prorsus idem cum subtracto, vel idem dum-

taxat ratione pretii seu aequalis pretii, id est **aequipollens**. Reparatio prior vocatur **RESTITUTIO**, posterior **SATISFACTIO**.

Aequipollens vel simul est eiusdem generis cum subtracto; vel minus: istud aequipollens dicitur **AEQVIPOLLENS** in specie; hoc **AEQVIVALENS**. Datur itaque *satisfaction* duplex, alia per *aequipollens*, alia per *aequivalens* seu per *id, quod interest*.

### §. 517.

Ius ex *laesione illata* tendit primario ad obtinendam *restitutionem*; in *subsidiū* vero, hoc est, si factum *infectum fieri*, et ablatum restituī nequit, ad *satisfactionem*.

Quantum enim est *damnum*, tantum reparari debet, seu reparatio dati *damni* *damno ipsi aequalis esse* debet. Hinc tenetur *laedens* in *subsidiū* ad *aequipollens*, aut denique, si et hoc deficiat, ad *id quod interest*.

Atque hac ratione praestatur *laeso indemnitas*.

### §. 518.

In ea *reparatiōne*, quae fit per *satisfactionem*, lex naturalis multum fauet *laeso*. Quantitas enim *satisfactionis* seu *aestimatio* *damni*

ex iudicio laesi (§. 437.) ; non vero laedentis nec tertii iuste determinatur (§. 269.).

### §. 519.

*Ex laesione praesenti* damnum oritur praesens. Hanc repellere licet, ne continuetur laesio, et damnum maius exoriatur.

### §. 520.

*Laesionem imminentem* bello auertere licet, ne nostrum turbetur. Quatenus laesio alicui imminet, eatenus est in statu mali imminentis seu in *periculo* (§. 457.). Periculo opponitur *securitas*. Ex iure contra laesionem imminentem itaque deducitur ius, periculum propulsandi, et ius securitatem sibi adferendi.

### §. 521.

Hostis qua laesus, seu is, qui bellum gerit, quatenus est laesus, dicitur *in genere DEFENSOR SVI*: contra omnis laedens vocatur etiam *AGGRESSOR* seu *OFFENDENS*.

*In specie DEFENSOR SVI* est, qui contra laesionem praesentem vel imminentem bellum exercet : *AGGRESSOR* e contrario, a quo infertur vel imminet laesio.

Ergo bellum defensoris seu defensuum est iustum: bellum contra aggressoris seu offensum est iniustum.

### §. 522.

Ius sese defendendi datur etiam contra laesionem imminentem (§. 520.). Itaque defensor non obligatur, primum actum aggressionis expectare (§. 513.); sed habet ius inferendi mala violenta aggressori, antequam actu laedat, id quod dicitur **IUS PRAEVENTIONIS**.

### §. 523.

Finis iuris defensionis est adsertio securitatis (§. 520.). Competit itaque ius defensionis ab eo tempore, quo in periculo esse incipimus, et durat tam diu, quoad extra periculi aleam sumus constituti, siue quoad securitatem recuperauerimus.

### §. 524.

Ius belli igitur ambitu suo et laesiones illatas et praesentes atque imminentes complectitur. Ergo bellum iuste infertur et continuatur, donec non tantum

1) damnum illatum vel restitutione vel satisfactione est resarcitum, et

2) laesie

- 2) laesio praesens cessat; sed etiam  
 3) donec omne periculum propulsatum et  
 securitas in futurum adserita est atque vindicata.

### §. 525.

Si ultra hos terminos bellum protenditur, laesio incipit laedere, et ex hoste iusto ac defensore fit aggressor: contra aggressor pristinus nunc euadit defensor et hostis iustus.

1. Haec in thesi certa: in hypothesi vero et casibus obuiis determinare defensionis iustae limites, infinitis difficultatibus premitur. Hoc unicum obseruare liceat, ius belli latius patere contra eum, qui *dolose* et ex proposito *laedit*, quam contra eum, cuius laesio dolosa non est.

Ex dolo enim laudentis mihi ius nascitur iudicandi, eum retinere propositum laedendi, licet damnum sit reparatum, laesio repressa (§. 382): ideoque ius, me constitutum esse in periculo, securitatemque meam minus in futurum adsertam esse, nisi sufficienter declareret animum contrarium, ex. gr. praestita cautione idonea. Quod ius contra laesionem culposam vel non-moralem mihi non competit.

Inde *bellum* contra dolosum laudentem a quibusdam vocatur *vindicatum* et, licet non satis congrue, *poenale*.

### §. 526.

Si bellum oritur inter duos: alii aut auxili-  
 um alterutri hostium ferunt; aut minus. Est  
 vero **AUXILIUM** coniunctio virium suarum

cum viribus alterius in exsequendo eius proposito.

§. 527.

Qui fert auxilium hosti, vocatur PARTIVM STVDIOSVS : qui non fert, seu a partium studio vacuus est, dicitur esse NEVTRARVM PARTIVM seu NEVTRALIS.

Propositum illud, hosti auxilium ferendi est SVDIVM seu FAVOR PARTIVM : abstinentia vero a fauore partium NEVTRALITAS.

§. 528.

Quilibet suborto inter alios bello a natura habet ius neutralitatis, ideoque neutralitas per se numquam est cauſa belli iustifica.

§. 529.

Hosti auxilium variis modis ferri potest, ideoque variis modis quis partium studiosus esse potest. Si vero auxilium fertur hosti, quatali, id est, ut eius vires nocendi augeantur; is, qui eiusmodi partium studio tenetur, appellatur AVXILIATOR HOSTIS *in sensu speciali*.

§. 530.

Auxiliator hostis iuuat hostem in bello contra aliud, ideoque ipse bellum infert. Ergo ipse euadit hostis.

§. 531.

## §. 531.

Auxiliator hostis iniusti vires suas confert ad exsequendum propositum alterius (§. 526.) iniustum, ad tertium laedendum (§. 243): ideoque ipse laedit.

E contrario auxiliator hostis iusti viribus suis utitur, ad exsequendum propositum alterius iustum, ad reparandum laesi damnum, ad eum defendendum (§. 521.): ideoque ipse iuste agit.

i. Hinc Auxiliator hostis dicitur induere, qua accedens seu accessorius, naturam hostis principalis, ita ut, si hostis principalis sit iustus; accedens etiam sit iustus: si contra ille sit iniustus; et ipse itidem iniustus sit praedicandus.

## §. 532.

Haec generalia paucis ad statum naturalem absolutum et hypotheticum adplicanda. Ex diversitate eius, quod suum vocatur, diuersae laesionum, damnorum et belli species enascuntur.

## §. 533.

In suo connato primum occurrit vita et corpus. Si vitam vel corpus defendo: haec defensio vocatur MODERAMEN INCVLPA-

TAE TUTELAE, quod datur cum internecione aggressoris.

1. Corpori si vulnera infliguntur, saepissime sunt damna *citra mensuram data*.

2. Moderamen inculpatae tutelae a *fauore necessitatis* longissime distat (§. 223.).

3. Ad quaestionem : an ad fugiendum perfecte obligetur, qui fuga euitare vitae periculum potest ? alia est responsio iuris ciuilis quam naturalis (§. 269.).

### §. 534.

Tum existimatio bona simplex in censu sui connati deprehenditur (§. 373.). Contra laesionem famae per contumeliosa facta vel verba datur ius exigendi,

1) vt alter declareret, se poenitere dicti vel facti iniuriosi, id est ius ad DEPRECATIONEM ; vel

2) vt declareret, iudicare se alterum virum iustum, sibique in iis, quae dixerit feceritue, animum iniuriandi non fuisse, quod vocant DECLARATIONEM HONORIS ; vel

3) vt declareret, se mentitum esse respectu verborum contumeliosorum, quod dicunt RECASTATIONEM seu PALINODIAM.

4) Competit denique ius, contumeliam illatam contumelia rependendi, siue IUS RETORSIONIS.

§. 535.

## §. 535.

Ius adquirendi tum res nullius, tum alienum, seu ius occupandi et paciscendi pertinet ad iura connata. Qui in hoc iure turbatur, damni reparationem exigere potest.

## §. 536.

Qui ad paciscendum vel dolo alterum inducit, vel vi compellit: tenetur ad id, quod interest.

## §. 537.

Ex pacto nascitur suum quaesitum. Qui igitur pactum violat, non adimplet, conditionibus stare recusat: contra eum datur vel ius cōgendi, vt adimpleat promissum (§. 392.): vel ius recedendi a pacto (§. 273.).

i. Optionis itaque ius hoc casu laeso est tribuendum. Siue enim cogere alterum, siue recedere ipsa a conuentione malit: vtrumque iuste agit.

## §. 538.

Suum quaesitum seu id, quod ad bona, fortunas, patrimonium nostrum pertinet, quamcumque ratione ab altero possideatur, ab eo exigi, id est *vindicari* potest. **VINDICARE** scilicet suum, est possessionem sui quaeſiti ab altero repetere.

Hinc contra quemcumque nostri quaeſiti poffefforem datur *vindicatio*: ſiue fit res, ſiue ius quaeſitum, vnde datur vel *rei* vel *iuris vindicatio*.

1. Si quis igitur rem alienam pacto in me tranſtulit, et dominus rem ſuam vindicat: tenetur transferens mihi ad ſatisfactionem, ſeu ad preium rei vindicatae reddendum (§. 517), quod appellant *praeflare euictionem*.

### §. 539.

*Poffeffor alieni* aut eſt poffeffor **BONAE FIDEI**; ſi ignorat, id eſſe alienum: aut **MALAE FIDEI**; ſi eſſe alienum nouit.

Qui rem, quam ignorat eſſe alienam, occupauit (§. 318.), vel rem a non-dominio, quem talem eſſe ignorat, pacto adquisiuit: eſt bonaे fidei poffeffor.

Contra qui rem, quam ſcit eſſe alienam, apprehendit, vel rem a non-dominio quem talem eſſe minus ignorat, pacto adquisiuit: eſt malaе fidei poffeffor.

### §. 540.

*Poffeffor bonae fidei* habet ius iudicandi ſeu putandi (a), ſe eſſe dominum rei alienae, donec verus dominus appareat (§. 318. et 373.).

Ergo

Ergo omnes actus dominii interim iuste exercet, ideoque, dum dominus verus apparet, non nisi ad tantum ei restituendum tenetur, quantum ex re adhuc habet, vel in subsidium ad tantum satisfaciendum, quantum ex re adhuc locupletior est (§. 517.).

a) Hinc bonae fidei possessor dicitur habere *titulum* acquirendi *putatuum*.

### §. 541.

E contrario *malae fidei* possessor caret iure se iudicandi dominum, et ab eo momento, quo rem alienam apprehendit, moraliter laedit, et obligatur ad eam restituendam. Hinc omnes, quos exercet actus dominii, ei sunt moraliter imputabiles.

Ergo vero domino tenetur ad rem restituendam cum omni caussa, vel in subsidium ei satisfaciendum de omni eo, quod interfuit domini inde ex eo tempore, quo rem alienam sciens possidere coepit.

1. Hanc iuris differentiam circa bonae et malae fidei possessionem deducimus ex differentia laesionalis non-moralis a laesione moralis (§. 315), quam alii ita exprimunt: bonae fidei possessor tenetur dumtaxat *ex re*; malae vero fidei possessor simul *ex facto*.

2. Bonae fidei possessor in *malam fidem* constituitur, simul atque cessat ignorare seu incipit

incipit cognoscere rem a se possellam esse alienam (§. 316.). Ergo ex quo dominus verus apparet: possessor bonae fidei quatenus recusat restitutionem rei, iure possessoris malae fidei iudicatur (§. 541.).

3. Ad malae fidei possessores refer *furem*, *raptorem*, *spoliatorem*, *latronem* et quemcumque, qui bona nostra sciens et volens imminuit, adimit, lucrum ex fructibus patrimonii nostri intercipit, cet.

### §. 542.

Patet itaque, innumeris modis laesiones exoriti posse. Inde **CONTROVERSIAE** seu **LITES** nascuntur, quae continent actus, quo plures sibi inuicem de eo, quod suum alterutrius est, contradicunt.

Pone controuersiam Titium inter et Sempronium: Titius adfirmabit, sibi ius competere, Sempronio incumbere obligationem, quod negabit Sempronius.

Lites exortae, qua ratione in statu naturali finiri queant, disquiramus.

### §. 543.

Suum quod est in controuersia, aut est suum alterutrius litigantis *indubium* seu *certum*, aut *dubium* seu *incertum*.

### §. 544.

## §. 544.

Qui non tribuit seu negat alteri suum, laedit  
(§. 241.), et efficit, ut alter nanciscatur ius belli.

Si negat suum certum; laesio est certa, ius  
belli est certum: si incertum; laesio est dubia,  
ius belli est dubium.

## §. 545.

Quamobrem in lite de suo indubio laesus  
violentiam iuste exercet in litigantem alterum,  
donec laedere desistat, ideoque etiam donec  
agnoscatur et confiteatur, obiectum litigiosum es-  
se suum laesi, atque declareret, sibi in illud nihil  
competere iuris.

Hoc casu oritur pactum vi extortum. Er-  
go pactum, quod litiganti laedenti a litigante  
laeso vi extorquetur, est iustum.

## §. 546.

Si e contrario suum, de quo lis orta, est  
dubium; quum hoc casu etiam vis litigantium er-  
ga se invicem sit dubii iuris: ante omnia ope-  
ram nauare tenentur litigantes, ut id, quod est  
incertum, certum reddatur.

## §. 547.

Suum vero incertum seu dubium aut indu-  
biuum reddi potest, aut minus.

## §. 548.

## §. 548.

Qui in lite de suo dubio, quod indubium reddi potest, vi vtitur: ille est in reatu (§. 112.), ideoque fit laedens (§. 253.).

Ergo litigantes de suo dubio, antequam ad violentiam progrediantur, obligantur inquirere, an et quomodo id, quod dubium est, reddi indubium possit.

## §. 549.

Suum dubium indubium redditur per probationem. PROBAT propositionem, qui eam ex principiis cognoscendi indubitatis deducit.

## §. 550.

Probationis iuridicae obiectum omne est suum, ideoque siue ius meum siue obligatio alterius (§. 241.).

## §. 551.

Inter duos litigantes is, qui se fundat in dubio, probare tenetur.

## §. 552.

In statu naturali suum connatum homini tribuendum est, simul atque existit. Ergo in hoc statu suum connatum probare nemo tenetur.

Ergo inter duos litigantes is, qui se fundat

in

- 1) in identitate iurium,
- 2) in libertate naturali,
- 3) in existimatione iusti hominis,
- 4) in iure ignorantiae : probare nihil tenetur.

1. Ergo et possessor non probare tenetur ius possidendi (§. 373.).

2. omnis possessor alieni (§. 539.) praesumitur bonae fidei.

### §. 553.

Ergo si lis est de suo connato ; is qui negat, aliquid esse suum alterius, probare tenetur. Id quod exprimere solent : pro suo connato militat praesumtio.

### §. 554.

Quum suum connatum probare nemo tenetur (§. 552.): consequens est, ut probationis obiectum nequeat esse, nisi suum quaesitum.

Omne suum quaesitum supponit factum (§. 264.). Hinc omne, quod in lite dubium et probationi subiectum esse potest, versatur in factis.

### §. 555.

Circa factum omne quod inquiritur, est aut

- 1) an factum existat?
- 2) an factum existens sit iustum?

## §. 556.

Si existentia facti probatur; PROBATIO dicitur FACTI: si iustitia; probatio dicitur IURIS.

1. Ita differentia determinanda in iure naturali: vbi lex naturalis ea dubia non admittit, quae lex positiva admittere potest.

## §. 557.

Si existentia facti est dubia: qui negat factum; negat vel factum proprium, quo obligationem contraxit, vel factum alterius, quo adquisiuit.

Qui negat factum proprium dubium, se fundat in suo connato (§. 286.): ergo probare nihil tenetur.

Qui negat factum dubium alterius, quo adquisiuit, fundat se itidem in iure connato, quo ei ius est ignorandi omne illud, cuius signa non exstant (§. 317.): ideoque probare nihil tenetur.

Ergo *adfirmanti facti dubii existentiam* incumbit probatio.

## §. 558.

Si e contrario de facti existentia nullum est dubium, de iustitia vero facti litigatur: vel *adfirmata-*

firmatur iustitia facti sui; vel negatur iustitia facti alterius.

Qui adfirmat se iuste egisse, sese fundat in existimatione bona simplici: ergo probare non tenetur.

Qui negat alterum iuste egisse, negat alteri existimationem bonam simplicem: ideoque probare tenetur.

Ergo *neganti iustitiam facti probatio in- cumbit.*

### §. 559.

Facti existentia probatur multifariam: per *testes*, qui sunt personae, quae ad fidem faciendam de facto tertii abhibentur; per *instrumenta*, quae continent scripturam, in qua veritas facti narratur; per *iuramentum*, cet.

### §. 560.

Iniustitia facti probanda semper per *rati- cinium*, cuius conclusio est: factum tuum est laesio.

### §. 561.

Quodsi hac ratione suum incertum factum fuerit certum: tum iisdem modis controversia finitur, quibus finiri diximus litem de suo certo (§. 545.).

## §. 562.

Si e contrario suum dubium probatione instituta certum reddi nequit, atque ita dubium superest, ad quem litigiosum pertineat: non aliud in statu mere naturali reperitur medium terminandae contradictionis et mutui dissensus, quam consensus reciprocus in idem litigiosum, hoc est *pactum*.

## §. 563.

Hoc pactum vel interueniente tertio sancitur, vel minus.

## §. 564.

*Interueniens tertius* ad litem aliorum terminandam neque obtrudere se, neque ipse cogi potest.

Itaque mutuo dumtaxat litigantium cum tertio consensu operam suam legitime interponit.

## §. 565.

Consentient vero litigantes in tertium, ut vel decisione vel consiliis suis litem terminet: in priori casu tertius appellatur ARBITER, in posteriori MEDIATOR seu ARBITRATOR.

## §. 566.

Pactum litigantium, quo arbitrum consti-  
tuunt,

tuunt, COMPROMISSVM; pactum eorumdem cum tertio, quo sit arbiter, RECEPTVM; ius arbitri, qua talis, ARBITRIVM; iudicium vero arbitri, quo decidit litem, LAUDVM vocatur.

### §. 567.

Litigantes laudo adquiescere perfecte obligantur (§. 565.): ideoque compromissum est modus finiendo lites.

### §. 568.

Plures simul constitui possunt arbitri: quorum iura aequalia vel inaequalia ex tenore compromissi et recepti determinantur.

Si plures sunt arbitri: iis addi potest superarbitr, qui scilicet sub ea conditione arbiter constituitur, si arbitri in laudo dissenserint.

### §. 569.

*Mediatoris officium est, consiliis vtrumque litigantem adiuuare, offerre vtrinque conditio- nes terminandae litis, suadere, ut eae accepten- tur.*

Litigantibus recusare vel acceptare condi- tiones oblatas aequa est integrum: quatenus

vero actū in eas acceptandas mutuo consentiunt : eatenus mediatione finitur controuersia.

### §. 570.

Ceterum ad pactum illud, quo lis de suo dubio finitur, vel mediante bello, vel citra bellum, hoc est aut *violenta* aut *placida ratione* peruenire possunt paciscentes.

I. Vnde liquet, mediationi atque arbitrio tum belli tum pacis tempore locum esse.

### §. 571.

Si placida ratione litigantes terminant controuersiam : pactum vocatur **AMICABILIS COMPOSITIO.**

### §. 572.

Pertinet huc pactum remissorium (§. 490.), pertinet etiam est *transactio*, quae inuoluit pactum, quo litigantes vtrinque dato aliquo vel retento litem componunt. Huc et referri potest pactum de controuersia terminanda per somum, cet.

Vno verbo : de quocumque modo litigantes conueniunt ad dirimendam amicabiliter controuersiam, eo iuste dirimitur.

### §. 573.

## §. 573.

Quod si in placidam rationem non consen-tiunt, armorum iudicium experiendum. In lite de suo dubio neuter litigantium obligatur, stare iudicio alterius (§. 544.), consequenter suo vterque iudicio standi ius habet (§. 279.).

Igitur vterque ius suum iuste persequitur, vterque iustum gerit bellum, vterque iuste et eripit res, et inuidit iura, et petit ipsam personam alterius litigantis, et quod ereptum, invasum, petitum; alter iusta violentia recuperat, defendit, repetit.

## §. 574.

Nam quum hoc casu laesio sit dubia (§. 544.): et damnum erit dubium, et, quod bello adquiritur, erit dubii iuris, immo omne suum euadet incertum, quippe violentiae alterius expositum.

i. In bello itaque eiusmodi omne ius *sola possessione* nititur: nec bellum est modus adquirendi, nec datur occupatio bellica respectu alterius litigantis.

## §. 575.

Itaque bellum ipsum non finit controuersiam, nec victoria decidens finit litem.

## §. 576.

Sed modi, quibus finitur bellum, sunt modi finiendi eiusmodi litem. Finitur vero omne bellum vel morte alterutrius hostis, vel pacto. Pactum, quo lis hostium finitur, est *pactum pacis*. Itaque modi, quibus lis hostium de suo dubio finitur, sunt interitus hostis et sanctio pacis.



## IVRIS NATVRALIS

LIB. II.

## IVS SOCIETATVM MINORVM.

C A P. I.

## IVS SOCIALE IN GENERE.

§. 577.

Vita hominis, aliorum auxiliis destituta, incommoda maximopere ducitur atque miserrima. Auxiliis e contrario adiuta nihil est, quod desiderari queat, quo eniti non possit. Auxilia dando vel faciendo feruntur, hoc est, vel in *rebus* vel in *operis* consistunt (§. 390.). Quid iustum atque iniustum sit, vbi aliorum *res* et *iura in res* fuerint adquisita, satis superque excussum. Nunc, quae ex *operarum* cum aliis communicatione *iura* nascantur atque obligationes, explanandum.

§. 578.

Dantur plures hominum fines (§. 120.), qui usum virium continuatum requirunt, et ab uno homine vel plane non, vel difficulter obtineri

N 4

possunt.

possunt. Eiusmodi **FINIS** pluribus idem vocatur **COMMVNIS**. Hinc quum necesse tum maxime proficuum esse ad vitam commode atque feliciter traducendam senserunt mortales, ut vniarent vires seu operas suas, hoc est, ut sese iungerent in communii fine persequendo.

### §. 579.

Coniunctio plurium ad communem finem persequendum efficit **SOCIETATEM**.

Posita hac coniunctione

- 1) ponuntur plures seu *coetus* hominum,
- 2) ponitur status ex coniunctione ortus:

Hinc societas sumitur mox pro ipsa eiusmodi *coniunctione*, mox pro *coetu* hominum, ad obtinendum communem finem coniunctorum, et denique etiam pro *statu* hominum, finis communis causa coniunctorum.

1. Has diuersas significationes, quae tamen non nisi *respectiue* differunt, etiam species societatis, ex. gr. respublica, ecclesia, certamittunt.

### §. 580.

In omni societate mutuum a sociis sibi inuicem praestatur auxilium seu adiutorium (§. 526.).

### §. 581.

## §. 581.

Voluntas non nisi ad bonum fertur (§. 19.). Finis itaque omnis *bonum* continet, et finis communis *bonum commune*. In omni itaque societate deprehenditur

- 1) bonum quoddam commune, ad quod obtinendum omnes socii conferunt vires,
- 2) et quod obtentum in omnes socios redundat.

## §. 582.

Pone societatem: pones duos vel plures homines,

- 1) quorum singulus iurium atque obligacionum humanarum capax est, et qui eapropter
- 2) coniunctim sumti etiam iurium atque obligationum humanarum capaces sunt.

Hinc leges iuris naturalis applicari possunt ad societatem, tum quoad singulos socios, tum etiam quoad integrum sociorum coetum.

## §. 583.

Ius naturale applicatum ad societatem vocatur IUS SOCIALE.

## §. 584.

In omni societate duplex est consideratio : alia societatis respectu *non-sociorum*, alia societatis respectu *sociorum suorum*.

Inde oritur duplex ius sociale :

1) aliud est ius societatis respectu aliorum hominum *non-sociorum*, quod dicimus **IUS SOCIALE EXTERNVM**,

2) aliud est ius societatis respectu *sociorum suorum*, quod appellamus **IUS SOCIALE INTERNUM**.

## §. 585.

Socii ad obtainendum finem communem coniunctis viribus agunt (§. 581.). Hinc quaecumque iura et obligationes singulari homini tribuuntur ab aliis hominibus respectu actionis sua : ea etiam iura et eadem obligationes sociis simul sumitis tribui debent ab aliis hominibus respectu actionum, quas coniunctis viribus agunt, seu brevius, respectu finis communis.

Plures, quatenus simul sumti gaudent iuribus, et tenentur obligationibus singularis hominis, eatenus considerantur ut *una persona*, et vocantur **PERSONA MORALIS** seu **MYSTICA**.

Ergo societas seu coetus *sociorum* respectu finis

commu-

communis, et intuitu non-sociorum repreäsentant vnam personam, et sunt persona moralis.

1. Societas est *vna persona*, haec propositio annumeratur fictionibus heuristicis: verum obserues velim, non *iura et obligationes* singularis hominis societati affingi; sed tantum *nomen* affingi. Quatenus demonstratur, plures personas collectiue sumtas eadem iura obligacionesque habere, quam individuum humanum: eatenus nihil, fingirur. Si vero tribuere velles societati, tamquam vni personae, duos oculos, manus, pedes: tu fingeres.

### §. 586.

IUS SOCIALE EXTERNVM est scientia legum perfectarum, ideoque iurium atque obligationum (§. 164.), quae societati respectu aliorum hominum non-sociorum sunt tribuendae.

### §. 587.

Principium iuris socialis externi adaequatum est:

1) intuitu aliorum hominum non-sociorum: *nemo, qui est non-socius, laedat societatem, seu: quilibet non-socius suum tribuat societati;*

2) intuitu ipsius societatis: societas non laedat alios non-socios, seu: *societas suum tribuat aliis hominibus non-sociis.*

### §. 588.

Pone societatem existere inter homines, qui citra respectum societatis in statu naturali vivunt:

vunt : ponendum est , hanc societatem a reliquis hominibus non - sociis considerari debere tamquam vnam personam in statu naturali de gentem.

### §. 589.

*Existit* societas, simul atque iunguntur plurimum vires ad finem communem persequendum. Finis, quem societas sibi proponit, vel iustus est vel iniustus. Pro ratione finis societas ipsa vel iusta est vel iniusta.

### §. 590.

Societas iniusta caret iuribus naturalibus : et cuilibet non - socio ius est belli et defensio nis contra eiusmodi societatem , ex. gr. contra cateruam latronum.

### §. 591.

E contrario societati iustae competit res pectu non - sociorum ius in finem socialem , in conseruationem coniunctionis socialis , in actiones iustas sociales , competit identitas iurium , aequalitas , libertas naturalis plena , ius circa suum sociale omnes pro lubitu actus fuscipendi , ius adquirendi , alienandi , existimatio bona sim ple , cet .

Haec tribuenda societati , simul atque existere coepit , ideoque respondent suo hominis connato .

### §. 592.

## §. 592.

Nec minus eiusmodi societas rerum a se occupatarum fit domina, rerum sibi propriarum accessoria ex lege, et alienum pacto adquirit.

Haec tribuenda societati accedente illius factio, ideoque respondent *suo* hominis *adquisito*.

## §. 593.

Porro, si suum societatis violatur ab aliis non-sociis; competit societati laesae contra quemlibet alium facultas moralis cogendi actualis, ius ad exigendam damni dati reparationem, ius sese defendendi, ius statum securitatis sibi adserendi, uno verbo, *ius belli* contra alium quemlibet *laedentem* et aggressorem.

## §. 594.

Denique uti iura, ita et obligationes naturales societati eiusmodi tribuendae. Tenetur ad suum et connatum et acquisitum aliorum iis relinquendum, ad neminem laedendum, ad damnum datum reparandum, cet.

Haec omnia, quum merum contineant ius naturale, iis ulterius immorari superuacaneum est.

## §. 595.

*Ius sociale internum* est scientia legum perfectarum;

fectorum, ideoque iurium atque obligationum, quae societati respectu socrorum suorum sunt tribuendae. Itaque eius principium adaequatum est: *ne laedat socius socium*, seu: *socius suum tribuat socio*.

### §. 596.

Iura atque obligationes socrorum erga se inuicem sunt duplicis generis: vel socrorum, qua hominum; vel socrorum, qua talium. Illa sunt *iura naturalia* atque *obligationes naturales*: haec sunt **IURA SOCIALIA, OBLIGATIONES SOCIALES.**

Illa sunt eadem cum iis, quae in statu naturali percensuimus: haec oriuntur ex ipsa societate, et sola sunt, de quibus hic loci disserendum.

### §. 597.

Non vero omnes societates iuribus atque obligationibus socialibus instructae sunt. Vel enim socii sibi inuicem ad finem communem coniunctim persequendum perfecte obligantur; vel minus: illae societates sunt **OBLIGATORIAE**; haec **PRECARIAE**.

Socii precarii sibi inuicem tantum tenentur

obliga-

obligatione naturali: socii obligatorii vero simul obligatione sociorum, qua talium, seu sociali.

### §. 598.

Societas precarias mittimus, tamquam exules ex ciuitate iuridica. Societas obligatoriae continent mutuam sociorum obligationem ad persequendum finem communem.

Ex hac obligatione mutua descendit ius mutuum, seu ius socii in socium, ut viribus suis vtatur in obtinendo bono communi. Hoc ius est adfirmatiuum (§. 581.). Hinc SOCIETAS OBLIGATORIA vocatur status, quo personae in personam ad persequendum finem communem competit ius adfirmatiuum.

I. Sed tamen non omne ius adfirmatiuum in personam est simul ius sociale. Omne ius adfirmatiuum est ad praestandum aliquid, id eoque vel ad dandum vel ad faciendum.

Si inter plures non intercedit aliud ius aliqua obligatio, nisi ad dandum: est ius naturale vel obligatio naturalis.

Si vero intercedit ius atque *obligatio ad faciendum*, quod *vsum virum continuatum* requirit: tum demum existit ius sociale. Ius adfirmatiuum naturale vnicō actu absolui potest, ius adfirmatiuum sociale plures actus requirit.

### §. 599.

Hinc, si applicaueris principium iuris socialis

alis interni ad societas obligatorias, qua tales nascitur sequens adaequatum : *Socius socio tribuat suum sociale.*

Vnde deriuatur principium : *quilibet socius curet, vt, quae ad bonum commune pertinent, et ipse et reliqui socii peragant.*

1. Bonum commune continet finem, itaque haec obligatio atque hoc ius ad finem simul ad remedia adhibenda, ad impedimenta remouenda, ad occasionem amplectendam dat ius atque obligationem (§. 124.).

### §. 600.

Ex hac lege sociali vniuersali deducitur.

1) *obligatio* cuiuslibet socii ad peragenda, quae ad commune bonum pertinent, et

2) *ius* cuiuslibet socii, ne quis eum turbet in actionibus socialibus, et ius adigendi reliquos socios, vt ipsi collaborent.

### §. 601.

Quatenus igitur socii ad bonum commune perfecte obligantur: eatenus illud priuato bono praeferre tenentur. Hinc *bonum commune supra societatis lex* dicitur.

### §. 602.

Quodsi tamen collidit bonum commune cum conseruatione totali socii: licet socio obfauo-

fauorem necessitatis negligere officia socialia, ne ipse pereat (§. 224.). Non vero adest collisio, si

1) non collidat conseruatio totalis socii, aut non collidat

2) cum obligatione sociali perfecta.

Priori casu socius et iniuste et illicite ageret, posteriori casu et licite et iuste agit; si privatam salutem praeferit communi.

### §. 603.

Omnis finis communis requirit usum virium continuatum, ergo plura negotia continet, quae, tamquam media ad finem communem obtinendum, expediri debent. Haec negotia, quae et quomodo expedienda, determinari debent.

### §. 604.

Ex determinatione, quae negotia socialia et quomodo expedienda sint, oriuntur propositiones, secundum quas socii actiones suas dirigere obligantur. Itaque societas indiget LEGIBVS (§. 160.), quae dicuntur SOCIALES.

### §. 605.

In his negotiis determinandis aut omnium

O

socio-

sociorum ius est idem, aut diuersum. Si diuersum; alteri competit ius negotia socialia pro arbitrio determinandi, quod alteri non competit, qui potius secundum ea, quae alter determinat, agere obligatur.

### §. 606.

Ius socii pro arbitrio determinandi, quae negotia socialia et quomodo ab altero socio expediri debeant, dicitur IMPERIVM. Itaque omnis *societas* vel *agnoscit imperium* vel *minus*.

### §. 607.

Socius, qui in societate imperat, SUPERIOR seu IMPERANS; cui imperatur, seu qui patet atque ad obsequium tenetur, vocatur INFERIOR seu SVBDITVS.

Socius socio inferior vel superior dicitur ei INAEQUALIS: socius socio nec inferior nec superior est ei AEQUALIS.

Hinc omnis SOCIETAS vel est AEQUALIS, vel INAEQUALIS. Dantur, qui illam dicunt AEQVATORIAM, hanc RECTORIAM.

### §. 608.

Imperans qua talis habet ius, determinandi pro arbitrio leges subditorum, seu ius eis LE-

GES FERENDI (§. 604.), quod ius inde dici-  
tur POTESTAS LEGISLATORIA.

### §. 609.

Qui ius habet pro arbitrio determinandi le-  
ges: illi ius competit, et leges certo modo de-  
terminandi, et determinatas tollendi, tollendi et  
simpliciter et alio simul modo determinandi, tol-  
lendique et in totum et in tantum.

Legem certo modo determinare, dicitur  
**LEGEM FERRE in specie**; legem alio modo  
determinare, **LEGEM MVTARE**; legem tol-  
lere in totum, **LEGEM ABROGARE**; in tan-  
tum seu pro parte, **DEROGARE LEGI**.

Potestas itaque legislatoria continet ius,  
leges ferendi, mutandi, abrogandi, iisque dero-  
gandi.

### §. 610.

Imperanti competit ius curandi, ut legibus  
socialibus satisfiat a subditis, seu ius **LEGES  
EXSEQVENDI** (§. 606.), quod ius dicitur **POTESTAS EXSECVTORIA**.

### §. 611.

Subditi obligantur legibus imperantibus con-  
uenienter agendi, seu obligantur ad obseruan-

tiam legum, ad OBSEQUIVM ad OBEDIENTIAM (§. 607.).

Hinc ius est imperanti, inobedientes cogen-di (§. 160.), ideoque mala eis inferendi (§. 50.).

Malum, quod ab imperante infligitur sub-dito inobedienti, vocatur POENA. Ergo po-testas legislatoria simul continet IUS POENAM IRROGANDI seu PVNIENDI.

i. Hinc et concipitur ius imperantis, legi comminationem determinatae poenae addendi in casum inobedientiae; cuiusmodi LEGES vocantur POENALES.

### §. 612.

Omne imperium est in plures subditi actio-nes, in genus actionum (§. 606.). Hoc genus actionum vel est determinatum; vel indetermi-natum: inde IMPERIVM est vel DETERMI-NATVM seu LIMITATVM: vel INDETER-MINATVM seu DESPOTICVM.

Imperium despoticum itaque omnes subdi-torum actiones, quoad fieri potest, dirigit: li-mitatum certas dumtaxat determinatas.

### §. 613.

Societas inaequalis continet imperium (§. 607.): itaque *societas inaequalis* est vel de-spotica vel limitata.

### §. 614.

## §. 614.

Societas despotica continet summum specie gradum imperii : hinc omnis societas despotica est specie eadem.

Societas e contrario limitata est infiniti generis : quum infinita sint actionum genera, ea-que infinitis modis determinabilia.

## §. 615.

In societate limitata imperans

1) quatenus non limitatur ; eatenus agendi pro arbitrio ius habet :

2) quatenus contra limitatur ; eatenus hoc iure caret, ideoque eatenus nihil valide agit nisi cum consensu subditorum.

Vnde elucet, societatem inaequalem,

1) quatenus constituit imperium ; esse inaequalem :

2) quatenus limitat, esse aequalem.

I. Quae igitur de societate aequali nunc euoluemus : ea etiam societati inaequali, quatenus caret imperio, tribuenda.

## §. 616.

Omnis societatis aequalis anima et regula sola *consensus sociorum* (§. 605.), qui continet *vo- luntatem* societatis, quatenus consideratur ut una persona.

Consensu hoc determinantur sociorum et actiones singulae et actionum genera, negotia singula et negotiorum genera eorumque modi.

Consensu sociorum perfici omnia societatis negotia possunt : dissensu nihil.

### §. 617.

Pone societatem aequalem,

1) quae coetum multorum sociorum continet, et

2) cuius finis multis negotiis continuo et diversis locis peragendis socios occupat : impossibile aut certe maxime incommodum et communi bono noxium est, ad quodlibet singulare negotium exigere omnium sociorum praesentem consensum.

Hinc natura et conseruatio societatum aequalium requirit, ut

1) negotia praecipua atque ordinaria, et

2) ipse modus consentendi, quatenus iudicari debet legitimus et obligatorius, per consensum antecedentem determinetur.

### §. 618.

Inde nascuntur leges societatum aequalium, quibus determinantur

1) nego-

- 1) negotia praecipua et ordinaria socialia, quae et quomodo expedienda,
- 2) determinatur modus consentiendi obligatorius in negotiis adhuc indeterminatis, pro rerum circumstantijs aliquando determinandis.

### §. 619.

Hae leges

- 1) constituuntur consensu seu pacto sociorum, atque hinc dicuntur **LEGES CONVENTIONALES**,
- 2) obligant quemlibet socium ex pacto,
- 3) et consensu sociorum uti sanciuntur, ita etiam mutantur, tolluntur, abrogantur, extenduntur, restringuntur (§. 609.).

### §. 620.

Reliqua negotia expedienda, quae nondum per praecedentem consensum seu legibus societatis determinata sunt, ea ut determinentur, accedente consensu perficiendum est (§. 616.).

Consensus hic intercedens votis obtinetur. Est vero **VOTUM** seu **SUFFRAGIVM** declaratio voluntatis socii societati facta intuitu negotii socialis, quod in deliberationem venit.

## §. 621.

Votum logice consideratum continet  
 1) iudicium, et hinc est *adfirmatiuum* vel *negatiuum*, *cathegoricum* vel *hypotheticum*, cet,  
 2) declarationem mentis, vnde est vel *expressum*, siue *scriptum* siue *orale*; vel *tacitum*, quo  
 pertinent varia symbola declarandi mentem.

Iuridice consideratum intuitu societatis vel  
 certo modo est obligatorium; vel nullo modo:  
 illud dicitur DECISIVVM; hoc CONSULTA-  
 TORIVM seu DELIBERATIVVM.

## §. 622.

Votis consentientibus efficitur lex socialis  
 (§. 619.): dissentientibus nihil efficitur.

## §. 623.

Vota numerari, an ponderari debeant; v-  
 trum dumtaxat omnia, an etiam plurima, si con-  
 sentiant, concludant; et quota pars votorum  
 consonorum concludat; an absentium quoque,  
 vtrum dumtaxat praesentium vota in censum ve-  
 niant: non nisi ex consensu sociorum, ex legi-  
 bus socialibus dependet.

## §. 624.

## §. 624.

A natura nemini competit in alterum ius adfirmatiuum (§. 286.). Itaque omne ius sociale pertinet ad suum quaesitum.

## §. 625.

Omne suum quod adquiritur, vel adquiritur pacto; vel citra pactum; hinc et omnis societas vel pacto constituitur; vel citra pactum.

## §. 626.

Societas, quae pacto constituitur; vocatur **PACTITIA** seu **VOLUNTARIA**: quae pacto non constituitur; **NECESSARIA**.

## §. 627.

Ex iis, quae in sequentibus dicentur, claram fiet,

1) dari societatem necessariam inter parentes atque liberos, quae sui generis est unica;

2) reliquam e contrario societatem omnem constitui pacto, ideoque esse pactitiam seu voluntariam.

1. Sunt, qui bellum iustum inter modos constituendi societatem numerant, eo scilicet sensu, ut victor iustus in devictum hostem adquirat imperium, idcoque per victoriam inter vietorem et devictum constituatur imperium.

Et verum quidem est, victori iusto competit*e* ius pro arbitrio praescribendi facienda vieto hosti, quia hosti iusto in hostem omnia licent (§. 506.).

Sed 1) exercitium huius iuris non efficit societatem: quia hic status victoris et victi, quia hostium, caret fine communi, bono communi.

Quid, quod idea hostium, qui mala sibi iniucem inferre violenter conantur, e diametro repugnet ideae sociorum, qui utilitatem mutuo promouent. Ergo impropre dicitur imperium.

2) Impossibile est huius iuris exercitium citra consensum victi. Victor enim imperat*e* victoris nunquam faciet, nisi quatenus obsequium tanquam malum minus praeponit coactioni victoris et comminationi mortis, tamquam malo majori, hoc est quatenus vult, consequenter quatenus consentit.

Ergo omne imperium in devictum inuoluit pactum hostis victoris cum devicto, quo finitur hostilitas, hoc est pactum pacis: bellum vero et victoria non sunt nisi occasio adquirendi imperii, occasio constituendae societatis.

### §. 628.

De societate pactitia subiungenda quaedam, quae ex notione pacti et conditionibus pacti sequuntur.

§. 629.

## §. 629.

Socii societatis voluntariae sunt paciscentes. Itaque si nititur societas pacto vel nullo vel iniusto, consequenter inualido: ipsa *societas* est *nulla* vel *iniusta*, consequenter *inualida* et *non obligatoria*.

Contra quatenus continet pactum verum et iustum, ideoque validum: eatenus ipsa *societas* est *vera*, *iusta*, *valida*, *obligatoria*.

## §. 630.

Porro omnis societas voluntaria aut *pacto expresso* aut *tacito* constituitur. Tertium non datur. Ergo, quae pacto praesumto fundari singitur, in statu naturali est nulla (§. 401.).

## §. 631.

De quo conuenit inter socios voluntarios: illud in societate voluntaria obligatorium est. Ex mutuo consensu omnis obligatio socialis, omne ius sociale dimetiendum et

1) intuitu finis communis, quinam fuerit constitutus, et

2) intuitu remediorum, quibus sit persequendus, ideoque intuitu negotiorum socialium, quae et quomodo sint expedienda.

I. Quum determinatio finis et remediorum diversissima cogitari possit: sequitur, vt et p̄t̄ socialis diuersissimae esse queant conditio-nes, adeo vt, quod in altera est obligatorium, in altera non sit obligatorium, immo quod in altera est iustum, in altera sit iniustum.

### §. 632.

Quatenus pactum sociale initum: eatenac iura socialia et obligationes sociales oriuntur.

Hinc

1) socii voluntarii non omni respectu sunt socii,

2) socii voluntarii vltra pactum sociale non tenentur, nec obligationibus socialibus obsti-inguntur; sed in reliquis actionibus iure naturali vtuntur.

### §. 633.

Societas voluntaria vel est *inaequalis* vel *aequalis*.

I. Quamobrem, quae de societate inaequa-li et aequali antea diximus, ad societatem vo-luntariam applicari possunt.

### §. 634.

Si laeditur socius a socio: integrum est lae-so, vtrum cogere alterum laedentem, vt obli-gationi suae satisfaciat (§. 392.), an ipse resili-re a societate malit (§. 273.).

### §. 635.

## §. 635.

Quodsi hoc casu laesus actu a societate re-  
cedit; tollitur societas. En modum tollendi  
societatem supposita laesione.

Remota laesione tollitur societas iis modis,  
quibus tollitur ius adfirmatiuum in alterum ad  
faciendum, ideoque iis modis, quibus exspirat  
obligatio ad faciendum.

## §. 636.

Itaque si abstrahamus a laesione, tollitur so-  
cietas tum *casu*, siue deficiat alteruter sōciorum,  
siue fiat impossibile, quod faciendum est; tum  
etiam *facto iusto*, id est, consensu mutuo seu  
*pacto*.

## §. 637.

Species societatum infinitae cogitari possunt,  
quarum caput est ciuitas. Quae societates ad  
hanc distinctius cognoscendam pertinent, eae  
prae reliquis ut exponantur, necesse est.

Hoc fine posito dispescimus societates in  
*maximam*, quae est *ciuitas*, et *minores*, quae  
sunt reliquae omnes.

Minores iterum distinguimus in *simplices*,  
quarum socii sunt singuli homines, et *composi-  
tas*,

*tas*, quarum socii sunt integræ societates simplices.

Simplices, quas explicabimus, sunt *societas matrimonialis, paterna, herilis*: composita, quam perpendemus, est ea vnica, quae ex his dictis simplicibus coalescit, id est *familia*.





## IURIS SOCIETATVM MINORVM

## CAPVT II.

IVS MATRIMONIALE  
ET  
PATERNUM.

§. 638.

MATRIMONIVM est societas maris et feminae ad procreandam atque éducandam sobolem inita. Vocatur etiam CONIVGIVM, CONNVBIVM, et eius socii CONIVGES.

1. EDVCARE est curare felicitatem eius, qui ob teneram aetatem se ipsum perficere nondum valet.

2. Mutuum adiutorium est finis matrimonii non qua matrimonii; sed qua societatis (§. 580.). Ergo matrimonium virgineum non est matrimonium.

3. Posito hoc fine matrimonii composito tamquam vnicō, qui rectae rationis legibus congruit: omnis concubitus, qui huic fini non respondet, est illicitus, quo pertinet *stuprum, fornicatio et omnis vaga libido.*

§. 639.

Matrimonium est societas

- 1) voluntaria,
- 2) simplex et
- 3) aequalis.

§. 640.

## §. 640.

Matrimonium constituitur *pacto* (§. praec.). Itaque si alteruter coniugum est inhabilis ad consentiendum, vel ad procreandam educandamque prolem: matrimonium est nullum (§. 411.).

1. Inhabilis quis esse potest ad procreandam educandamque sobolem per *aetatem*, quo refer infantes et decrepitos; ad procreandum in specie per *vitium corporis*, quo pertinent impotentes, steriles, eunuchi, spadones; dum ad educandum quoque per *vitium mentis*.

## §. 641.

Porro, si quis ad ineundum matrimonium  
 1) vel dolo inductus,  
 2) vel vi iniusta compulsus fuerit: matrimonium est iniustum (§. 404. et §. 406.).

1. Huc pertinet matrimonium stupratae, quae pro virginе se venditauit, vel matrimonium inter raptorem et raptam.

## §. 642.

Matrimonium requirit pactum expressum, quod pactum de ineundo matrimonio vocant **S P O N S A L I A**. Vnde conficitur:

1) sponsalia differre a matrimonio, quatenus matrimonium concipitur ut status eorum, qui iam coniuncti sunt in fine communi persequendo,  
 2) spon-

2) sponsalia mutuo consensu constitui ; mutuo vero dissensu dissolui,

3) si bina sponsalia contradictoria fuerint celebrata ; priora derogare posterioribus (§.418.), quodsi tamen

4) persona, in cuius praeiudicium sponsalia posteriora celebrata, ius suum remittat (§.490.) ; posteriora sponsalia valida fieri.

### §. 643.

N V P T I A E sunt cohabitationis initium.

Differunt hinc nuptiae a sponsalibus, vt ad impletio pacti a pacto ipso.

1. Mas et femina desponsati ante nuptias vocantur *sponsus* et *sponsa*, post nuptias *matus* et *vxor*, seu uno verbo *coniuges* in sensu speciali.

### §. 644.

Matrimonii plures concipi possunt *species* ex numero personarum in societate coniugali vnitarum.

Coniugium requirit socios diuersi sexus. Si ponis diuersi sexus unicum coniugem ; adest MONOGAMIA : si plures ; POLYGAMIA.

Plures, si sunt utriusque sexus plures ; oritur COMMUNIO VXORVM : si alterutrius

dumtaxat; vel est coniugium vnius maris cum pluribus feminis, vel vnius feminae cum pluribus maribus. Illud coniugium vocatur POLYGYNIA: hoc POLYANDRIA.

Conuenientissima fini matrimoniali est monogamia: polyandriam natura abhorret, polygynia pluribus adhuc gentibus recepta, nec defuerunt populi, qui communioni vxorum indulserent.

### §. 645.

Ex pacto matrimoniali oritur obligatio coniugum mutua, cohabitandi inuicem, et, quae ad procreandam educandam soholem pertinere possunt, faciendi; quae vero hunc finem impediunt, fugiendi.

### §. 646.

Inde *fides* (§. 394.) *coniugalis* concipitur, ad quam vterque coniugum obligatur, et quae ex pacto matrimoniali diiudicanda. Idem dicendum de *fide sponsalitiae*.

### §. 647.

Si violatur fides coniugalis ex gr. per adulterium, id est concubitum coniugis cum persona extra matrimonium: parti laesae contra

laeden-

laedentem competitunt iura, quae tribuuntur pacienti laeso contra laedentem. Hinc coniux laesus contra laedentem facultate cogendi ut aut etiam ipse tollere societatem matrimonialem potest.

Posterius fit per *diuortium*, quod consistit in dissolutione matrimonii viuis coniugibus facta.

Idem valet de fide sponsalitia, ex cuius violatione concipitur *repudium*, seu dissolutione sponsaliorum viuis sponsis facta.

1. Reliqua fere omnia, quae hodie in civitatibus Christianis requiruntur ad *matrimonium ratum et legitimum* constituendum, vel etiam ad illud dissoluendum, aliunde arcessenda.

### §. 648.

Societas inter parentes atque eorum liberos, qua tales, vocatur SOCIETAS PATERNA.

### §. 649.

Proles ex facto parentum communi scilicet *generatione* existentiam nanciscitur, ideoque simul atque nascitur, est suum eorum adquisitum.

Pone enim factum meum iustum, quo efficio, ut quid existat: si id obiectum, quod incipit existere, volo esse meum; neminem laedo.

Ergo quidquid factō meo iusto produco,  
est meum, seu id quod factō meo iusto produ-  
co, adquiro.

Itaque in liberos competit parentibus ius  
quaesitum.

### §. 650.

Iuri quaesito parentum in liberos respondeat  
obligatio liberorum, quae tollit statum eorum  
naturalem: ideoque liberis neque identitas iu-  
rium, neque aequalitas, nec libertas naturalis re-  
spectu parentum tribuenda.

### §. 651.

Proles est homo. Posito homine ponitur  
objēctum iure hominis instructum (§. 473.). Ergo ad minimum tribuere proli debemus ul-  
timum omnium iurium: *ius, ne pereat, ius in*  
*conservationem vitae suae* (§. 219.).

1. Itaque ius parentum in liberos non est  
*dominium*. Quodsi dominium foret; liberi res  
propriae essent, et cessarent esse homines in  
sensu iuris, id est iurium atque obligationum  
humanarum capaces.

### §. 652.

Itaque ius parentum in liberos non conti-  
net ius, eos destruendi, non est ius in vitam eo-  
rum: consequenter tantum modo in illorum  
actiones,

actiones, et quidem in eas dumtaxat, quae cum conseruatione liberorum consistere possunt.

### §. 653.

Ius parentum in liberos, qua tales, vocatur  
PATRIA POTESTAS.

Haec itaque consistit in iure dirigendi pro arbitrio omnes liberorum actiones, quae cum conseruatione eorum consistere possunt.

### §. 654.

Ex patria potestate nascitur

- 1) bonum parentum, vtilitates ex actionibus proliis percipiendae,
- 2) bonum proli, conseruatio et educatio sua (§. 638.).

Bonum omne obtainendum efficit finem (§.  
120.): hinc ex patria potestate concipitur

- 1) finis parentum, vtilitates ex actionibus liberorum percipiendi, cuius remedium, consequenter finis intermedius est conseruatio et educatio liberorum,
- 2) finis sobolis, conseruatio et educatio sua.

Ad finem itaque communem (§. 578.) coniuncti sunt parentes et liberi. Ergo inter parentes atque sobolem reperitur *societas*.

Vnde elucet, fundatam esse iure naturali societatem paternam.

### §. 655.

Dum itaque nascitur proles, existit societas paterna (§. 648.), quae est

- 1) *necessaria*, quum constituatur citra patrum (§. 626.),
- 2) *obligatoria* ratione sibi solis (§. 598.),
- 3) *inaequalis*, quia patria potestas inuoluit imperium (§. 607. et 653.).

1. Obligatio liberorum, quatenus actionum liberarum capaces nondum sunt, haud quidem est *moralis* (§. 79.); sed tamen perfecta (§. 158.).

### §. 656.

Socii societatis paternae sunt

- 1) parentes, quorum imperium limitatur iure proli, ne destruatur,
- 2) proles, cuius status naturalis limitatur patria potestate.

### §. 657.

*Parentum ius* in prolem seu patria potestas, est *ius sociale*, cui respondet obligatio proli erga parentes socialis.

### §. 658.

Contra parentum obligatio erga prolem est

*natura-*

*naturalis* dumtaxat, cui respondet ius prolis in parentes, quod etiam non nisi naturale est.

### §. 659.

Patriae potestatis praecipuum procul dubio est *ius educandi*, ex quo deriuatur ius instituendi liberos in religione, scientiis, artibus, ius corrigendi, emendandi.

Non vero ad ius educandi restringitur patria potestas; quin potius ad eam quoque referenda sunt iura: praescribendi liberis, quae eos agere oporteat; prohibendi, quae ab iis fieri nolint; immorigeros acrioribus remedii in ordinem cogendi; actiones liberorum simul in propriam utilitatem vertendi, per eos adquirendi, cet.

### §. 660.

Patriae potestati respondet *prolis obligatio socialis* ad obsequium, ita ut proles citra parentum consensum promittere, acceptare, egredi ex familia, nuptias celebrare cet. nequeat.

### §. 661.

Ex *obligatione parentum naturalis* sequitur, eis ius minime esse, vulnerandi, mutilandi, occidendi sobolem, contra ius naturae ei

quid praecipiendi vel prohibendi, eam ad religionem cogendi, suum prolis, consensu parentum quaesitum, ei auferendi, cet.

### §. 662.

In his similibusque casibus cesset obligatio liberorum socialis; quin nascitur iis potius tamquam hominibus ius defensionis et belli.

### §. 663.

Ex *iure prolis* in parentes mere *naturali* evidens fit, liberis facultatem non esse cogendi parentes, ut illos educent, iisque alimenta praebeant.

### §. 664.

E contrario *parentes*, tamquam coniuges, *si bi inuicem socialiter obligantur* ad sobolem educandam.

Itaque procuratio abortus, expositio infantum, denegatio alimentorum et omnis actio, qua per incuriam parentis fit, ut sobolis valetudo, sensus, membra aliquid detrimenti capiant, aut intellectus voluntasque liberorum corrumpatur, est laesio.

### §. 665.

## §. 665.

Parentum ius in prolem est ex facto communi (§. 649.), ergo est ius commune : parentes sunt in communione imperii, et patria potestas vtriusque parentum est eadem et aequalis, consequenter et obligatio parentum cum patria potestate connexa vtrique eadem et aequalis incumbit. Quamobrem

1) neuter parentum in praeiudicium alterius sibi soli iura educandi arrogare potest,

2) parentes coniunctim et aequaliter de rebus ad vitam necessariis proli prospicere, atque impensas in educationem ferre, sibi mutuo tenentur.

## §. 666.

Tertius, qui turbat parentes in patria potestate, eos laedit.

## §. 667.

Patria potestas non tollitur nisi aut morte liberorum, aut parentum vel morte vel consensu.

## §. 668.

Mortuo alterutro parentum, patria potestas deuoluitur omnis in parentem superstitem :

vtroque mortuo, proles statum naturalem nanciscitur, seu sit *sui iuris*.

### §. 669.

Consensus parentum, quo patriae potestati renunciant, efficit **EMANCIPATIONEM**, quae est actus, quo proles ex patria potestate dimittitur.

Consensus parentum in nuptias et separatae prolis oeconomiam, non ultra tacite tollit patriam potestatem, nisi quatenus eius exercitium per nuptias sobolis vel separatae oeconomiam sit impossibile.

1. Proles **IMPUBES** est, quae ob teneram aetatem de alimentis, hoc est vietu et amictu necessario, sibi ipsi prospicere nequit; quae potest, dicitur **PVBES**.

**MINORENNIS**, quae quidem alimenta sibi procurare, felicitatem tamen suam propria virtute promouere nequit; quae utrumque potest, vocatur **MAIORENNIS**.

2. Impubes et minorennes educatione opus habent, maiorennes minus. Circa hunc itaque cessat educatio (§. 638.): inde tamen colligi nequit, cessare simul omnem patriam potestatem (§. 659.).

3. Alia vero est quaestio: an obligatio parentum qua coniugum mutua, ad alimenta proli praebenda, cesset circa puberem, et obligatio ad felicitatem prolis curandam cesset circa maiorensem? quod omnino adferendum.

## §. 670.

Parentes habent ius, sumtus educationis a sobole repetendi.

## §. 671.

Fundamentum patriae potestatis et subiectio-  
nis filialis est factum parentum generationis  
(§. 649.). Hinc

1) proles respectu reliquorum hominum gau-  
det statu naturali, tamquam suo connato cuius-  
libet hominis,

2) nec ullius tenetur agnoscere patriam po-  
testatem nisi eorum, quibus debet existentiam.

Pone patriam potestatem transferri a paren-  
tibus in alium: violatur suum prolis connatum,  
et imperio subiicitur, quod agnoscere iure na-  
turali non tenetur.

Ergo parentes alienare pro arbitrio neque-  
unt patriam potestatem, quin potius patria po-  
testas est ius personalissimum, subiectio prolis  
obligatio personalissima: et omnis potestas pa-  
tria, quam tertius quomodocumque sibi arro-  
gat citra prolis consensum, est iniusta.

I. Accedit, quod maxime intersit prolis, an  
parens ipse exerceat patriam potestatem, vtrum  
tertius. Parentis imperium mitigatur naturali  
illo insito stimulo τῆς σοργῆς, qui paternus amor  
in tertio frustra quaeritur.

## §. 672.

## §. 672.

Eam vero patriae potestatis particulam, quae solo *educationis iure* circa impuberem vel minorenem sobolem continetur, valide a parentibus alienari, et iuste a tertio exerceri, lubentes largimur. Quilibet enim, quae alium non laedunt, iuste agit. Ergo et tertius curam felicitatis alienae prolis optime iure agere potest.

## §. 673.

Hinc oritur conceptus **TUTELAE**, quae consistit in iure educandi vicario, id est vice parentum. Is, cui competit tutela; vocatur **TUTOR**: qui tutori subest; **PUPILLVS**.

Tutela ergo cessat cum maiorenitate pupilli (§. 669.).

i. Species tutelae est, si soboles impubes vel minorenis derelinquitur, et tertius quidam in se suscipit educationis curam. Haec tutela similis est occupationi, et hinc dicitur, licet improprie, *tutela occupatitia*.



## IVRIS SOCIETATVM MINORVM

## CAPVT III.

IVS HERILE ET DOMINI-  
CVM.

§. 674.

**I**ntroductis rerum dominiis alii egeni, alii locupletes existere. Illi victu et amictu, id est *alimentis* indigentes; hi operas alterius ad commodiorem vitam desiderantes, quod defuit utriusque, mutuo auxilio facile tribuere sibi inuicem posse, reperierunt. Hinc orti famuli et herili-

§. 675.

**FAMVLVS** est, qui operas pro *alimentis* praestare obligatur; is, cuius quis est famulus, eius vocatur **HERVS**; societas vero famulum inter et herum, qua tales, dicitur **SOCIE-TAS HERILIS.**

i. Sub famulo comprehendimus et *ancil-lam*, sub hero et *heram*.

§. 676.

Famulus ad operas hero praestandas, herus ad alimenta famulo ministranda perfecte obligatur.

§. 677.

## §. 677.

Societas herilis est societas *pactitia* seu *voluntaria*.

i. Pactum hoc onerosum continet vel *contractum do ut facias*; vel *locationem-conductio-*  
*nem operarum*: prouti vel alimenta natura-  
*lia*; vel alimentorum vicarium *merces* seu  
*pecunia* promittitur.

## §. 678.

Herus ex hoc pacto nanciscitur ius in ope-  
 ras famuli conuentas, ideoque ius determinan-  
 di, quas operas ex genere promissarum et quo-  
 modo eas praestare debeat famulus.

Societas herilis itaque est societas *inaequa-*  
*lis*, cuius imperans est herus, subiectus autem  
 famulus.

## §. 679.

Si famulus operas, ad quas obligatur, de-  
 negat hero, vel eo modo, quo eas praestare  
 tenetur, non praestat: hero nascitur ius puni-  
 endi famulum (§. 611.).

## §. 680.

Si contra dominus alimenta promissa famu-  
 lo non praebet: famulo ius est recedendi ex  
 societate, et sublata hoc modo societate reui-  
 uiscit utriusque status aequalitatis.

## §. 681.

## §. 681.

Cetera omnia ex tenore pacti decidenda.

Famulus

1) vel ad vitae tempus; vel ad determinatum tempus operas promisit: vnde societas herilis est vel **PERPETVA**; vel **TEMPORARIA**,

2) vel omnes; vel certas seu determinatas operas pacto transtulit: vnde societas herilis vel **OMNIMODA** seu **ILLIMITATA** seu **PERFECTA**; vel **RESTRICTA** seu **LIMITATA** seu **IMPERFECTA** nascitur,

3) vel, vt paulo ante diximus, pro alimentis naturalibus; vel pro certa mercede operas suas alienauit: vnde societas herilis dicitur **OENOXIA**; aut **MERCENARIA**.

## §. 682.

Ex societate herili perpetua et omnimoda oritur *seruitus*. **SERVVS** scilicet est, qui operas omnes et perpetuas pro alimentis praestare alteri obligatur: herus serui dicitur eius **DOMINVS**, obligatio serui **SERVITVS**, imperium domini **POTESTAS DOMINICA**, et societas domini cum seruo **SOCIETAS DOMINICA**.

## §. 683.

## §. 683.

Ex seruitutis conceptu colligitur,

1) societatem dominicam esse despoticam  
(§. 612.),

2) seruo praeter ius in alimenta nullam o-  
mnino competere intuitu domini libertatem na-  
turalem (§. 277.),

3) domino ius esse omnes utilitates ex serui  
operis capiendi,

4) seruum absque domini consensu neque  
adquirere sibi, neque se se aliis obligare valide  
posse.

1. Ergo pacisci, ex. gr. de matrimonio in-  
eundo cet. non potest, et quod occupat, quod  
adquirit, domino cedit.

## §. 684.

Seruitus tollitur iis modis, quibus exspirat  
omnis societas paetitia (§. 636.). Huc perti-  
net in specie MANVMISSIO, quae est actus, quo  
dominus dimitit seruum ex seruitute. Haec ut  
valida fiat, requirit pactum.

Seruus, qui manumissus est, dicitur LIBER-  
Tvs. Libertus itaque per manumissionem redit  
in statum naturale.

## §. 685.

Plura circa potestatem dominicam ventilan-  
tur

tur. Quaeritur: an dominus habeat *ius, transferendi in alium operas serui?*

Distingue inter seruitutem legalem et spontaneam.

Seruitus scilicet continet pactum (§.677.): hoc pactum vel est vi seu bello extortum, vel minus. Priori casu SERVITVS dicitur LEGALIS, posteriori SPONTANEA seu LIBERO CONSENSV INITA, vtrumque sensu speciali. Seruitus legalis reperitur in hoste devicto, qui in seruitutem detruditur.

In *seruitute spontanea* obligatio serui ultra eius consensum non extendenda. Quaecumque obligatio ex idea huius consensus non necessario colligitur, ea seruo non incumbit. Seruus consensit, ut Caius eius fiat dominus; ergo consensit, ut quilibet aliis, Titius, Sempronius, Meuius, in quemcumque scilicet illud transferre placuerit Caio, sit eius dominus: falsa est consequentia. Ergo seruus spontaneus non tenetur agnoscere dominum, quam illum, quem ex consensu elegit sibi libero.

*Seruitus contra legalis domino omnia tribuit iura, quatenus consistere possunt cum conserva-*

seruatione vitae serui: consequenter ei etiam tribuit ius, transferendi in alium operas serui.

Clarum itaque est,

- 1) in seruitute spontanea domino non competere ius, seruum quoad operas alienandi, venumdandi, commodandi, locandi, cet.
- 2) e contrario in seruitute legali domino competere ius, seruum quoad operas alienandi, venumdandi, locandi, commodandi, cet.

i. Diuersitas iurium circa seruitutem legalem et spontaneam quaerenda in statu domini atque serui ante initam societatem.

Seruus legalis fuit hostis, in quem omnia licebant victori. Per pactum seruitutis victor renunciat iuri suo in deuictum, et pro operis nihil promittit seruo, nisi vitae conseruationem et sustentationem. Ergo nihil ultra debet, consequenter non agit contra obligationem, si transfert in alium id ius, quod ipse habet in seruum, hoc est si transfert seruum quoad operas.

Seruus contra spontaneus fuit homo liber: per pactum seruitutis consensit, ut sibi imperet dominus. In quantum consensit, tantum debet seruus, tantum iuris adquirit dominus. Ergo nisi simul consensit, ut dominus ius suum transferre in alterum possit; ad alium dominum agnoscendum non tenetur, dominus caret iure transferendi, et, si transferre audet, agit contra ius serui, contra obligationem suam.

In seruitute spontanea consensus serui, qui obligationem sibi imponit; in legali consensus domini, qui obligationem sibi imponit, rationem decidendi subministrat.

2. Ceterum adest in omni de praefandis operis, de incunda societate pacto spontaneo respectus qualitatum personalissimarum. Hinc ex eiusmodi pacto nascuntur iuta personalissima et obligationes personalissimae, quae individuos pacientes non egrediuntur (§. 479.). Ergo omnis societas, quae nititur pacto spontaneo, non tribuit nisi iura et obligationes personalissimas.

Vnde elicitur principium generale nec in foecundum: in quocumque pacto adest respectus qualitatum personalissimarum vel quoad promittentem, vel quoad accipientem, vel quoad utrumque simul; illud pactum tribuit obligationes personalissimas, vel iura personalissima, vel utraque simul.

### §. 686.

Porro quaeritur: an liberi ex contubernio serui et ancillae nascantur serui?

Dominus seruorum parentum tantum iuris adquirit in eorum sobolem, quantum iuris transmissibilis competit parentibus. Ergo dominus non adquirit

- 1) potestatem dominicam, quia haec ipsis parentibus non competit;
- 2) nec patriam potestatem, quia haec non est transmissibilis (§. 671.); sed
- 3) adquirit tutelam dumtaxat (§. 673.).

1. Ergo ex lege naturali nemo nascitur seruus.

## §. 687.

Tandem quaeritur: an *ius necis* domino in seruum competit?

Si seruus est refractarius, domino competit ius, eum puniendi (§. 611.). An ius puniendi simul contineat ius necis? inquirendum.

**IUS NECIS** est ius, ultimo suppicio puniendi subditum inobedientem seu delinquentem. Ultimum supplicium tollit societatem dominicam, ideoque eius fini contradicit, consequenter seruus non consensit, ut ius necis domino competit. Dominus igitur ius necis in seruum non habet.

Competit tamen domino, qua laeso, facultas cogendi seruum, qua laudentem, ad interacionem usque. Verum ius illud non est *ius sociale*; sed *ius naturale* hostis in hostem, quod et seruo ipsis competit eo casu, si dominus saeuit in seruum.

## §. 688.

Fuere antiquitus et existunt hodienum servi, quorum domini et alimenta, si lubet, dengandi; et vitam, quum placuerit, demendi seruo, sibi fas esse iudicant: adeo ut servi perso-

nam

nam hominis exuentes rerum propriarum natu-  
ram induant, et rerum iure aestimentur.

Eiusmodi seruitus

1) non est societas, quia non continet com-  
mune bonum, nec

2) pacto niti potest: consentire enim, ut vi-  
ta miseriis malorum omnium formidolosissimis  
perpetuo exposita sit, non voluntatis; sed fu-  
roris est,

3) nec intra sphaeram iuris naturalis contine-  
tur: quod, quum eius obiectum non sit nisi ens  
iuribus humanis instructum; respuit entia, quae  
iuribus hominis carent, suo destituuntur, laedi  
nequeunt, et in quos uno verbo nihil nefas est.

I. Ex captiuitate deuictorum hostium ille  
mos innaturalis procul dubio originem traxit,  
in quos ante pacta omnis violentia iusta.





## IVRIS SOCIETATVM MINORVM

## CAPVT IV.

## IVS FAMILIAE

SEV

## SOCIETATIS DOMESTICAE.

§. 689.

**C**onsiderauimus societatem coniugalem, paternam, herilem secundum ea, quae ex notione cuiuslibet separatim colligi possunt. Iungas

- 1) societatem coniugalem paternae, vel
- 2) coniugalem herili, vel
- 3) paternam herili, vel
- 4) coniugalem paternae et herili simul : nascetur societas ex dictis simplicibus composita, quae vocatur **FAMILIA** seu **DOMVS** seu **SOCIETAS DOMESTICA**. Est igitur *familia* societas ex coniugali, paterna et herili, vel saltem ex binis earum composita.

1. Quando addis societatem herilem matrimoniali : supponendum, posteriorem mutuo consensu coniugum esse constitutam, vt inde nascatur societas illa composita seu familia.

§. 690

## §. 690.

Familiae *socii* sunt pater materque familias, filii filiaeque familias, famuli et ancillae aut serui seruaeque familias. Postremi quoque appellantur *domestici*.

## §. 691.

*Finis* familiae communis est ex fine matrimonii, societatis paternae et herilis compositus.

Itaque in eo constat, ut singuli societatum simplicium fines ita connectantur, quo alter per alterum commodius obtineatur, ut alter finis fiat instrumentum et adiumentum alterius. Atque hoc est, in quo vertitur *satus domestica*.

## §. 692.

Familia igitur est societas composita minor et inaequalis.

Eius imperantes sunt pater et mater familias, qui inde vocantur *caput familiae*: quorum ius suu reguntur subditi familias, qui sunt liberi familias et famuli aut serui.

## §. 693.

Patri et matri familias naturaliter in domo commune est imperium (§. 692. et 639.).

## §. 694.

Ex hoc imperio doméstico deriuatur *ius patris et matris familias*, dirigendi pro arbitrio suo communi actiones liberorum et famulorum seruorumue ad salutem domesticam obtinendam, ius leges familiares ferendi, et ius refractarios liberos, famulos, seruos puniendi.

## §. 695.

Huic imperio doméstico respondet

1) in *filiis filiabusque familias obligatio* ad promouendam salutem societatis matrimonialis et utilitatem parentum per operas famulorum seruorumue;

2) in *familis seruisue obligatio* ad promouendam operis suis non tantum heri heraeque, quatalium, utilitatem; sed simul societatis tum matrimonialis tum paternae salutem.

## §. 696.

Ex consensu mutuo patris matrisque familias in societatem herilem deriuatur noua *patris matrisque familias in se inuicem obligatio* ad promouendam rei domesticae per liberos et famulos seruosue salutem.

## §. 697.

*Ex mortuis familiis ius succedendi ab intestato et ex testamento sensim inualuisse, facile largimur. Interim hoc ius omne ex solo societatis matrimonialis, paternae aut etiam familiae conceptu demonstrari non potest. Itaque ut constitueretur, ab initio pactis opus fuit: post in consuetudinem et in legem familiae tacitam eo facilius abiit; quo magis familiarum vicinarum omnium intererat, ne hereditas defunctorum parentum familias praeda vel seruorum vel cuiusvis fieret occupantis.*





## IVRIS NATVRALIS

LIB. III.

IVS CIVITATIS INTERNVM  
ET IN SPECIE  
IVS PVBLICVM VNIVER-  
SALE,

C A P V T. I.

## IVS CIVITATIS IN GENERE.

§. 698.

**O**mnia hominum idem finis, conservare et augere perfectiones suas (§. 173.). Dum conseruationi student; SECVRITATEM quaerunt (§. 457.): dum incrementa perfectionum persequuntur; ad abundantiam omnium eorum, quae ad vitae necessitatem, commoditatem et iucunditatem pertinent, id est ad vitae SVFFICIENTIAM adspirant. Securias et sufficiencia iunctim efficiunt SALVTEM. Omnia itaque votorum et laborum meta ultima salus.

§. 699.

Studium salutis singulos homines per fines  
subor-

subordinatos tamquam per media in societates, societates simplices in familias coegerit. Sed quum singulae familiae hanc coniunctionem summo fini obtinendo reperirent longe insufficientem: plures familiae vnire iterum vires, et unitas rursum coaceruare varijs modis tentarunt. Vnde orta varia societatum maiorum genera, quas inter eminet illa, quae constituto imperio salutem communem directo petit, appellaturque ciuitas: quae tamquam maxima, fini summo conuenientissima, perfectissima, et moratoriibus gentibus ad unam omnibus recepta, specialem meretur inuestigationem.

### §. 700.

CIVITAS nimirum seu RESPUBLICA seu SOCIETAS CIVILIS est societas plurium familiarum, quae communis salutis caussa sub imperio degunt.

### §. 701.

Socii civitatis vocantur CIVES: inque iis IMPERANS CIVILIS, is, cui competit imperium ciuitatis; SUBBITI CIVILES, qui imperio ciuali subsunt.

Non-ciues, quatenus inter ciues commorantur,

rantur, PEREGRINI; quatenus extra ciuitatem considerantur, EXTERI vocantur.

Salus communis ciuium vocatur etiam SALVS PVBLICA.

### §. 702.

Ad ideam ciuitatis requiruntur

- 1) plures familiae,
- 2) vt eius finis sit salus communis, hoc est securitas et sufficientia (§. 698.).

*Securitas sola* non continet finem summum maxime et perfectissimae societatis (§. 699.).

*Tranquillitas* tamquam tertius finis superflua est, quum iam in securitate contineatur.

DESPOTIA seu societas plurium familiarum, quae sub imperio dominico viuunt, non est ciuitas.

3) vt contineat imperium, ideoque sit inaequalis. Hinc ANARCHIA seu societas plurium familiarum aequalis, ad communem securitatem vel salutem obtinendam, non est ciuitas.

### §. 703.

SOCIETAS quae est in statu naturali dicitur LIBERA. Societates omnes originetenus sunt in statu naturali (§. 588.), ergo etiam familiae,

miliae, consequenter etiam coetus familiarum in ciuitatem congregatus. Ergo ciuitas heic loci, vbi consideratur, qualis oritur ex familiis liberis, et qua societas maxima et perfectissima, cogitari debet ut societas libera.

Eatenus IMPERANS CIVILIS dicitur SVMMVS, id est, imperans ciuitatis liberae, consequenter qui nullius alterius imperio subest, et IMPERIVM eius vocatur SVMMVM ET MAIESTAS.

Ciuitas vero libeta respectu exterorum vocatur GENS.

### §. 704.

Ciuitas constituitur pacto. Familiae liberae viuunt in statu naturali. Ergo antequam alterum laedant, nemo citra eorum consensum imperium in eas sibi arrogare potest: posito vero, familias alterum laedere, bello tamen non acquiritur imperium, sed pacto pacis (§. 627.). Ciuitas igitur omnis est societas pacitia.

### §. 705.

Vt constituatur ciuitas, requiritur consensus plurium familiarum

1) in salutem communem, tamquam finem condendae ciuitatis,

2) in

2) in imperium, tamquam eius remedium determinatum.

Quatenus separatur consensus in finem a consensu in remedium determinatum, eatenus ad constituendam ciuitatem requiritur *pactum duplex*:

1) pactum plurium familiarum, quo ad communem salutem sese coniungunt, quod vocatur **PACTVM UNIONIS**,

2) pactum plurium familiarum, quo constituitur imperium, quod appellatur **PACTVM SUBIECTIONIS**.

1. Pactum unionis famiam efficere imperium exinde a quibusdam colligitur: quia id, quod visum fuerit maiori parti unitarum familiarum, pro voluntate omnium habendum, sicque pars minor obliganda per maiorem, unde sequitur ius unituersis competens in singulos, quod, quum in determinandis singulorum actionibus consistat, imperium est.

Sed regerimus: familiae unitae aut consentiunt, ut plurima vota concludant, aut minus consentiunt. Posteriori casu deficit obligatio partis minoris, illis standi, quae visa fuerint parti maiori (§. 723.): priori casu, si colligitur imperium; adeo in imperium consensus, adeo est pactum subiectionis.

### §. 706.

Ciuitas est societas *perpetua*. Familiae in ciuitatem coeuntes pro scopo habent salutem, tamquam

quam finem maximum, ideoque etiam intendunt per hanc coniunctionem consulere futili posteritatis suae in omne aeum futurae. Itaque ciuitas ex fine et intentione eorum, qui ad constituendam hanc societatem sese coniungunt, est perpetua.

Ciuitas igitur, quoad ciuium posteri sunt superstites, surrogatis semper in locum decedentium aliis ciuibus perpetuo continuatur.

### §. 707.

Ad ciuitatem applicari potest ius naturale (§. 583. et 703.). Ius naturae applicatum ad ciuitatem vocatur **IUS CIVITATIS**.

Ius ciuitatis eruitur ex principiis iuris naturalis in specie, iuris socialis et ex conceptu ciuitatis.

### §. 708.

Ius sociale est vel internum vel externum (§. 584.): hinc et **IUS CIVITATIS** est vel **INTERNUM** vel **EXTERNUM**.

Ius ciuitatis internum docet iura atque obligationes ciuium inter se inuicem : ius ciuitatis externum tractat iura atque obligationes ciuitatis erga exterros.

### §. 709.

## §. 709.

Iura et obligationes ciuium inter se inuicem vel sunt subditorum ciuilium inter se inuicem; vel illae, quae inter summum imperantem atque subditos intercedunt: ex his IVS PUBLICVM; ex illis IVS PRIVATVM consistit.

Hinc ius ciuitatis internum est vel ius publicum vel priuatum. *Ius publicum et priuatum*, quatenus ex principiis vniuersalibus deducitur, consequenter quatenus est pars iuris naturalis, vocatur *vniuersale*.

i. An ius priuatum vniuersale mereatur specialem tractationem? infra inquiramus; sufficit hic nosse, quod ius ciuitatis internum in publicum et priuatum distingui possit, publicum vero ius sit species eius cardinalis.

## §. 710.

Exteri respectu ciuitatis diuersi generis esse possunt, eminent inter eos ciuitates aliae. Inde nascitur species determinata iuris ciuitatis externi, quae explicat iura et obligationes ciuitatum seu gentium inter se inuicem, atque inde vocatur IVS GENTIVM.

## §. 711.

Principium adaequatum iuris ciuitatis interni est

1) respe-

1) respectu totius ciuitatis: *ciuitas suum ciuile tribuat singulis ciuibus,*

2) respectu singulorum citium: *quilibet ciuis tribuat conciubus et toti ciuitati suum ciuile.*

In specie principium adaequatum iuris publici vniuersalis est: *summus imperans et subditū ciuiles sibi inuicem tribuant suum ciuile.*

### §. 712.

Principium iuris ciuitatis externi adaequatum est: *ciuitas et exterī sibi inuicem tribuant suum.*

In specie iuris gentium: gens genti tribuat quod mutuo suum est.

### §. 713.

Addamus quaedam, quae ad specialiora iuris publici principia viam parare possunt.

Ciuitas constituitur pacto (§. 704.), et in specie pacto subiectionis (§. 705.). Quamobrem

1) quidquid pactum in genere verum, iustum, validum; vel nullum, iniustum, inualidum efficit: idem quoque circa pactum subiectionis efficit (§. 411.),

2) omne

2) omne ius summi imperantis est ex pacto subiectionis, ex voluntate eorum, quibus imperat.

Eatenus dicitur, omne imperium ciuile originetenus pertinere ad populum,

3) conditiones pacto subiectionis adiectae uti subditos, ita et imperantem stringunt,

4) cum variae esse possint conditiones, quae pacto subiectionis adiiciantur: sequitur, ut in diversis rebus publicis diuersissima esse queant iura imperantis, obligationes subditorum.

### §. 714.

**Ex pacto subiectionis concipitur**

1) ius summi imperantis, imperandi subditis ad salutem publicam, seu dirigendi actiones subditorum ad salutem publicam: hoc est imperium ciuile (§. 700.): huic iuri respondet in subditis ciuibib⁹ obligatio ad obsequium ciuile,

2) ius subditorum in summum imperantem, ut curam salutis publicae agat: cui respondet obligatio imperantis ad hanc curam:

### §. 715.

Quatenus igitur constat, velle summum imperantem, ut hoc vel illud salutis publicae cauſa

fa fiat aut non fiat: eatenus subditi non amplius gaudent libertate naturali, quid velint nolintque, committendi vel omittendi.

### Contra quatenus

- 1) nulla salutis publicae ratio intercedit, aut
- 2) de voluntate imperantis non constat, aut
- 3) expresse in quibusdam negotiis reseruata subditis fuit libertas naturalis: eatenus etiam in ciuitate perdurat libertas, ius atque obligatio naturalis.

### §. 716.

#### *Status itaque subditorum ciuilis*

- 1) limitat quidem quam maxime libertatem naturalem; non vero eam tollit,
- 2) status subditorum ciuilis in diuersis ciuitatis, vel diuersis in eadem ciuitate temporibus varius esse potest: prouti varia datur voluntas imperantis, varia salutis publicae ratio, variaque libertatis naturalis reseruatio.

### §. 717.

Imperium ciuale extenditur in omnes subditorum actiones, quatenus salutem publicam concernunt (§. 714.). Imperium ciuale consistit in iure determinandi pro arbitrio, quae nego-

tia ciuilia et quomodo a subditis expedienda sint. Hinc in dubio,

1) an aliquod negotium conducat ad salutem publicam,

2) an quaedam actio subditorum subsit imperio : praesumtio est pro summo imperante.

### §. 718.

Ceterum imperium ciuale ita sua natura limitatum est, vt aliter quam ad salutem publicam exerceri nequeat (§. 714.). Ergo exercere imperium, omni publicae salutis ratione susque deque habita, vel plane in manifestum detrimentum publicum vergere, nefas est.

### §. 719.

Vnde euidenter patet, imperium ciuale infinite distare a despotico et a potestate dominica, subditos ciuiles a seruis, subiectionem ciuilem a seruitute (§. 683.).

### §. 720.

Vniuersa imperii ciuilis sphaera circumscriptur *salute publica*.

Quidquid commune singulorum ciuium et totius ciuitatis bonum inueniuit ; siue directe, siue

siue per indirectum; siue mediate siue immediate; id ab salutem publicam pertinere, nemo dubitabit.

In specie ea sufficientiam complectitur ae securitatem tum totius ciuitatis, tum omnium et singulorum ciuium. Quae postrema singulorum ciuium salus, quatenus cum salute omnium, vel totius ciuitatis comparatur, in specie SALVS PRIVATA; et haec in specie tunc SALVS PUBLICA vocatur.

I. Quum varius sit rerum publicarum status, veluti ex territorio maiore vel minore, asperioris mitiorisue climatis, maritimo vel mere terrestri; ex ciuium numero frequente vel infrequente, opulentia vel paupertate, genio, religione; ex vicinarum gentium praepotentia vel infirmitate: intelligitur, salutis publicae rationem determinatam ex vario reipublicae statu diuersissimam esse posse.

### §. 721.

Quoad fieri potest, obligatur imperans ad curandam simul singulorum omniumque ciuium et totius ciuitatis salutem. Nec proinde contra priuatam subditorum salutem quidquam statuere fas est, quam diu salua illa subsistere salus publica potest.

### §. 722.

Quodsi vero cum salute publica priuata collidit; adeo ut salua altera altera obtineri ne-

queat ; bonum maius praferendum minori :  
hinc

- 1) salus priuata in collisione cedere debet  
publicae ; et
- 2) sufficientia securitati.

1. Summus imperans obligatur promouere  
salutem publicam : hinc in collisione salutis  
priuatae cum publica ad hanc illi praferendam  
tenetur. Ergo etiam ad idem ei ius est (§. 156.).

Ceterum is priuatus, cuius salus ob collisionem negligitur, et qui inde detrimentum  
praecipuum capit, habet ius poscendi, vt reliqui subditi ad hoc detrimentum resarcientur  
communiter concurrant. Nam cum finis rei  
publicae sit salus et eommodum commune :  
sequitur vt, qui consensere in finem, et consenserint in remedium, in onus commune. Obligantur  
nimirum omnes subditi ad onera ciuitatis  
communiter ferenda, et imperans obligatur,  
vti salutem omnium communiter prouehendi,  
ita quoque onera reipublicae inter  
omnes communiter distribuendi.

### §. 723.

Porro naturae quidem ciuitatis conuenit,  
vt plures sub se complectatur familias (§. 700.).  
Eo ipso vero non excluditur :

- 1) tum singulas quoque personas, tum simplices societas minores hic pro sociis haberi;
- 2) quin etiam, praeter familias ac simplices  
in statu naturali cognitas societas, hic alias  
dari.

### §. 724.

## §. 724.

Nimirum SOCIETATES, quae in statu ci-  
vili reperiuntur, vel ad statum familiae per-  
tinent; vel minus pertinent: illae vocantur na-  
turales; hae CIVILES in specie. Societatis  
ciuilis socii vel sunt familiae; vel non sunt, seu  
consistunt in personis individuis: illa vocari so-  
let UNIVERSITAS; haec COLLEGIVM.

## §. 725.

Omnes societates, quae in statu ciuili re-  
periuntur, siue ad statum familiae pertinentes,  
siue ciuiles; siue simplices, siue compositae;  
minores maiores siue, vni supremo fini, saluti pu-  
blicae, atque vni communi imperio sunt sub-  
ordinatae. Sin secus, vna non est respublica.

## §. 726.

Imperanti ciuili competit ius, dirigendi ad  
salutem publicam omnes subditorum actiones,  
consequenter et actiones circa suum eorum  
quaesitum et bona. Quare imperanti compe-  
tit etiam ius, dirigendi suum subditorum quaes-  
itum in salutem publicam.

Imperium itaque ciuile et in personas et in  
patrimonium subditorum extenditur.

## §. 727.

Igitur et omnes singulorum subditorum, familiarum, collegiorum, vniuersitatum res immobiles, praedia, possessiones subsunt imperio ciuitatis summo.

Ex complexu potissimum praediorum, quae ciuibus eiusdem ciuitatis propria sunt, nascitur conceptus TERRITORII, quod denotat partem orbis terrarum ciuitati cuidam propriam.



## IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

## CAPVT II.

DE

## IMPERIO CIVILI.

§. 728.

Iura atque obligationes, quae inter imperantem ciuilem eiusque subditos intercedunt, vniuersum efficiunt ius publicum (§. 709.). Vnde hoc in duas partes abit, quarum altera docet, quaenam sint summi imperii iura, et in quo circa illud consistat tum imperantis tum subditorum suum; altera, quomodo sua quisque iura, quae huc pertinent, si turbantur, prosequi possit (§. 262.).

§. 729.

Omne imperium ciuale originem trahit ex pacto subiectionis (§. 705.). Hoc pactum vel est purum vel conditionatum (§. 429.). Itaque considerari imperium ciuale potest tum quale est ex pacto puro seu in genere, tum quale est ex conditionibus pacto adiectis, seu quatenus ex diversis conditionibus modificatur. Exordiamur

ab imperio in genere, de conditionibus imperio adiectis in sequenti exponemus capite.

### §. 730.

*Imperium ciuile generatim in iure dirigendi actiones subditorum ad salutem publicam consistit (§. 714.). Diriguntur autem actiones subditorum ad salutem publicam, dum curatur id fieri, quod ad eam conductit; non fieri, quod eam impedit. Eaque cura salutis publicae, quatenus iure ciuilis imperii geritur, vocatur ADMINISTRATIO REIPUBLICAE.*

### §. 731.

Ius imperanti summo qua tali competens, vocatur IVS MAIESTATICVM. Hinc ius maiestaticum generatim consistit in administranda republica (§. 730.).

### §. 732.

Quum multiplice et infinito fere modo ad conseruandam promouendamque, aut ad turbandam impediendamque salutem publicam vergere possint actiones subditorum: facile patet, multiplices et innumeræ fere esse administrationis reipublicæ et iurium maiestaticorum species.

Generatim vero omnis administratio ad duo redigitur capita. Scilicet salus reipublicae tum ratione exterorum, tum ratione ipsorum ciuium considerari potest (§. 708.). Vnde ADMINISTRATIO CIVITATIS IN EXTERNAM atque internam, IURA VERO MAIESTATICA IN TRANSEVENTIA ET IMMANENTIA diuiduntur.

Iura maiestatica ad ius ciuitatis externum, ad ius gentium pertinent (§. 710.): de immanentibus solis heic loci differendum.

### §. 733.

Omnis administratio reipublicae interna in eo versatur: ut

1) determinetur, quid ad salutem publicam fieri vel non fieri debeat;

2) ut reuera illud fieri vel non fieri curetur.

Prius exercetur per *potestatem legislatoriam* (§. 608.); posterius per *potestatem exsecutoriam* (§. 610.).

Itaque ad iura maiestatica pertinet potestas tum legislatoria tum exsecutoria quoque.

### §. 734.

LEGES, quae ex imperio ciuili feruntur, CIVILES nominantur. Leges

Leges ciuiles sunt leges, quae ex arbitrio imperantis declarato cognoscuntur, ideoque sunt positiuae (§. 169.).

Itaque ut obligare possint subditos, quibus feruuntur seu ut vim legis habeant; opus est, ut iis cognitae reddantur (§. 82.).

### §. 735.

Cognitae vero fiunt mediante declaratione imperantis (§. praec.): quae declaratio expressa et tacita esse potest (§. 362.). Hinc ipsae LEGES CIVILES vel sunt EXPRESSAE vel TACITAE. ICti Romani priores vocant SCRIPTAS; posteriores NON-SCRIPTAS.

### §. 736.

Aetius, quo lex subditis expresse declaratur, seu per expressam declarationem cognita redditur, vocatur PROMULGATIO seu PUBLICATIO LEGIS.

Lex promulgata omnes subditos, quibus lata et promulgata est, obligat, atque omnes proinde actiones eorum sub ista lege comprehensa secundum illam imputantur. Ultra promulgationem nec obligationem nec imputationem parit.

<sup>1.</sup> Hinc

1. Hinc omnis promulgatio, quae semper verbis fit, siue viua voce, siue scriptura adhibita, ita fieri debet, ut omnibus et singulis subditis, quibus obligatio ex ea lege iniungitur, lex innotescere possit, et nemini itaque subditorum, nisi sua ipsius culpa, incognita maneat.

2. Subditus, qui sua ipsius culpa legem promulgatam non cognouit, ignorantia tali vincibili ab obligatione et imputatione legis non liberatur; sin praeter culpam suam, merito liberatur.

3. Omnis promulgatio publice fit, hinc lex expressa vel probatione non indiget, vel facillima probatu est.

### §. 737.

*Lex tacita* oritur potissimum ex consuetudinibus subditorum. **CONSVETVDO** est regula actionis, ex pluribus actibus conformibus hominum eiusdem societatis orta.

Consuetudo eiusmodi, quatenus ius vel obligationem inter subditos parit, dicitur *vim legis habere*, et hinc vocatur **LEX CONSVETVDINARIA**.

Non vero consuetudo ex actibus conformibus subditorum; sed ex adprobacione tacita imperantis vim legis nanciscitur: quae adprobatio colligitur exinde, si imperante sciente nec contrarium statuente consuetudo ius vel obligationem parit.

### §. 738.

## §. 738.

Omnis lex ciuilis *formaliter* est positiva; materialiter vero tum positiva, tum naturalis esse potest.

Lex ciuilis materialiter talis est **L E X C I V I L I S i n s p e c i e .**

Eiusmodi lex ciuilis restringit libertatem naturalem, dum ad salutem publicam iubet committere, ad quod lege naturali nulla obligatio; vel prohibet, quod lege naturali non vetitum.

## §. 739.

Potestas legislatoria sub se comprehendit iura,

- 1) abrogandi legem,
- 2) derogandi legi,
- 3) mutandi legem (§. 609.),
- 4) dubia legis verba explicandi, id est **I N T E R P R E T A N D I**, siue id fiat restringendo verba legis, siue extendendo.

**I N T E R P R E T A T I O** legis a legislatore facta dicitur **A V T H E N T I C A**, quae cum sit reuera legislatio noua, subditis non competit, sed est maiestatis.

## §. 740.

Lex ciuilis posterior contradicens priori, tollit

tollit obligationem priorem (§. 739.). Hinc lex posterior semper derogat priori.

### §. 741.

Variis ceterum modis lex ciuilis ab imperante tolli potest, qui tollit legem vel quoad omnes subditos vel quoad quosdam individuos. Ille actus vocatur in specie legis **A B R O G A T I O**. Posterior fit vel eximendo ab obligatione speciali, vel concedendo ius speciale.

Si subditus quidam ab obligatione speciali in facto singulari eximitur; **D I S P E N S A T I O** adest: si in perpetuum seu in genere factorum; **C O N C E S S I O I M M U N I T A T I S** existit.

Si subdito cuidam speciale ius conceditur: hic actus vocatur **P R I V I L E G I I C O N C E S S I O**.

**P R I V I L E G I U M** datur vel personae; vel rei: vnde est vel **P E R S O N A L E**; vel **R E A L E**.

Personale vel datur personae singulari; vel integræ familiae: hinc priuilegium est vel **P E R S O N A L I S S I M U M**; vel **H E R E D I T A R I U M**.

### §. 742.

Ex *poteſtate exſecutoria* effluit ius cogendi et puniendo subditos inobedientes (§. 611.), de quo infra pluribus agetur.

### §. 743.

## §. 743.

Imperium ciuale et potestatem legislatoriam  
imperans exercet

- 1) in subditos,
- 2) ad salutem publicam. Vtrumque penius inuestigandum.

## §. 744.

Quod attinet subditos, competit imperanti ius, dirigendi ad salutem publicam subditorum

- 1) actiones,
- 2) bona, quo refertur, quidquid ad suum quae situm pertinet (§. 360.).

## §. 745.

Prius de actionibus videndum. Salus ciuitatis postulat innumera NEGOTIA expedientia, quae quatenus saluti ciuitatis inferuiunt, vocantur CIVILIA. Omnes ciues communiter obligantur ad salutem ciuitatis promouendam, itaque et obligantur ad remedia respectu huius finis necessaria, ad negotia ciuilia communiter expedienda, ad operas suas praestandas in negotiis ciuilibus peragendis. Hinc deriuatur ius imperantis ciuilis in operas subditorum, ius determinandi, quae negotia ciuilia et a quo subdi-

subditorum expediri debeant, ius distribuendi negotia ciuilia.

Negotium ciuale, quatenus determinato cuidam subdito expediendum incumbit, vocatur **MVNVS seu OFFICIVM CIVILE.**

### §. 746.

Species munerum ciuilium est *officium publicum.*

Administratio reipublicae est totum, quod in plures partes diuidi potest, est congeries innumerorum **NEGOTIORVM**, quae incumbunt imperanti ciuali vi maiestatis, atque hinc dicuntur **PVBlica.**

Haec cum tanta sint, ut ab ipso imperante geri omnia nequeant: necesse est, ut ius ipsi competit, aliis subditis committere partem administrationis reipublicae, committere negotia publica, quibus suo fungantur nomine.

Inde oriuntur officia ciuilia coniuncta cum iure maiestatico, nomine summi imperantis exercendo, seu coniuncta cum parte administrationis reipublicae, quae vocantur **OFFICIA seu MVNERA PVBlica.** Is, qui instructus est officio publico, vocatur **OFFICIALIS PVBlicus** seu **MINISTER REIPUBLICAE in species.**

1. Quatenus personae singulare vel societati cuidam committitur munus publicum, quod continet imperium in alias personas, quibus officia ciuilia particularia muneri publico subordinata incumbunt: eatenus haec personae vocantur *officiales subordinati*.

### §. 747.

Summo imperanti igitur competit ius, conferendi et munera ciuilia generatim, et publica speciatim, et quidem hoc ei ius competit quam maiestaticum: cui iuri respondet in subditis obligatio, suscipiendi officia, iisque voluntati imperantis congruenter fungendi.

1. Quatenus officiali ex officio incommodum praecipuum nascitur, atque munus labores et tempus consumit, ut alimentis sibi quaerendis non sufficienter vacare possit: eatenus iure poscit, ut a ciuitate et summo imperante alatur (§. 722.).

2. Ut officialis munere fungatur ex voluntate imperantis, huic ius est, quid agere debet officialis, praescribendi, iurecurando vinculandi fidem officialis cet.

### §. 748.

Officium ciuile continet mandatum, cuius mandans est imperans, mandatarius est officialis. Vnde patet, officiale respectu officii sibi demandati, quidquid agat, agere nomine et au-

tori-

Autoritate summi imperantis, consequenter eaten-  
nus repraesentare imperantem (§. 409.).

Quum vero minister publicus simul exer-  
ceat ius maiestaticum nomine imperantis (§.  
746.); hinc eiusmodi minister publicus dici-  
tur per excellentiam *repraesentare imperantem*  
*summum.*

§. 749.

Officialis

1) quatenus officio suo fungitur, eatenus a-  
git eadem vi ac efficacitate, ac si imperans ipse  
ageret, consequenter eatenus et obsequium ei  
a subditis debetur.

2) Quamprimum vero vel extra limites sibi  
demandatos, vel ultra modum praescriptum  
vagatur officialis; non cessat tantum eius auto-  
ritas obsequiumque illi debitum; sed violat quo-  
que subditos et summum imperantem.

3) Officialis imperanti ad rationes reddendas  
respectu officij commissi tenetur, subditis ab  
eo laesis ius est, querelas contra officialem pro-  
ferendi, in quas imperans inquire, et, si meretur,  
officio exui, quin puniri etiam officialem limites  
officii transgressum curat.

## §. 750.

Ex officiis publicis natales dignitatum ciuilium deducendi. Imperium omne parit existimationem bonam intensuam seu honorem seu DIGNITATEM respectu subditorum. Maiestas itaque est summus existimationis bonae intensuac gradus.

Quodsi imperans subdito cuidam conferat officium publicum, eo ipso ei confert partem imperii, confert dignitatem respectu officialium subordinatorum et aliorum subditorum. Ne vero diuerorum officialium collidant dignitates, ius est imperanti, determinandi cuiusuis dignitatem. Hinc summus imperans dicitur *fons omnium dignitatum in ciuitate.*

1. Collatio dignitatis pertinet ad priuilegia (§. 741.).

2. Cum dignitate coniuncta praecedentia (§. 378.).

3. Iungi dignitati quoque possunt tituli aliaque symbola, vt insignia gentilitia, insignia ordinis equestris, cet.

4. dignitas et singulari subdito, et integræ societati, singulari subdito et ad vitam et quoad posteros conferri potest, vnde dignitates esse possunt *personales* et *hereditariae*. Ad has referenda nobilitatio.

## §. 751.

Alterum ius maiestaticum est in bona subditorum, quorum usum ut ne subditi vertant in detrimentum reipublicae, cauet, atque, ut inde salus publica promoueatur, curat summus imperans.

## §. 752.

Inde etiam nascitur *ius tributorum*. Salus publica consistere nequit citra impensas. Subditi obligantur pro ratione facultatum suarum sumptus in publicam rem necessarios conferendi. Quidquid subditi conferunt ex bonis suis ad publicam utilitatem vocatur TRIBUTVM. Colligitur inde ius maiestaticum, tributa subditis imperandi; obligatio subditorum, tributa imperata soluendi.

## §. 753.

Tributa sunt onera et incommoda subditorum. Nemo vero subditorum obligatur ad incommoda praecipua preferenda. Quamobrem ut tributa communiter inter subditos pro ratione facultatum cuiusvis distribuantur, est ius subditorum, obligatio imperantis.

Ex tributis inter alia et salario officialibus ciuilibus atque publicis distribuenda (§. 747.)

## §. 754.

Ad iura maiestatica quoddammodo etiam pertinet *ius praemiorum*.

Quum enim imperanti ius sit, salutem publicam omnibus promouendi rationibus: hinc et obligandi quomodocumque subditos ad hunc finem, ius ei tribuendum. Obligantur homines tum malis, tum bonis etiam consecteturis, poena et praemiis (§. 79.). Itaque imperanti tribuendum ius praemiorum.

*Ius praemiorum* eatenus est maiestatis, quantum aliis subditis inde obligatio iure summi imperii accrescit.

Praemii imperans tum merita proborum remunerat, tum ad bene merendum animos subditorum excitat.

*Ius puniendi* est iustitiae; *ius praemiorum* beneficentiae maiestaticae opus.

1. Ad praemia pertinent priuilegia, immunitates (§. 741.), dignitates (§. 750.).

## §. 755.

Tandem quoque ad iura maiestatis referendum *ius summae inspectionis*. Subditi ciuiles subsunt imperio et quoad actiones et quoad bona, quatenus id exigit salutis publicae ratio (§. 744.).

Iam

Iam vero vt dirigere possit imperans actiones et bona subditorum ad salutem publicam; vt cauere possit, ne actiones et bona in perniciem reipublicae impendantur; vt discernere possit actiones, quae faciunt ad salutem publicam, ab iis, quae eam minus concernunt; vt cuilibet negotio ciuali praeficere possit aptissimum officialem; vt proportionate et operas et tributa singulis imponere possit; necesse est, vt cognoscat actiones et bona subditorum: quod ius summi imperantis efficiendi, vt cognoscat actiones et bona subditorum, vocamus IUS SVMMAE INSPECTIONIS.

Hoc iure inquirit summus imperans in actiones, negotia, facultates subditorum, et nulla actio, nullum negotium, nulla bonorum species occultari summo imperanti potest.

### §. 756.

Haec omnia, quae de iure maiestatis in subditos adseruimus; etiam ad cunctas societas, collegia et vniuerfitates, quae in ciuitate continentur, applicari posse, in aprico est (§. 725.).

### §. 757.

Nunc in quibus obiectis specialibus administratio reipublicae versetur, disquiramus.

Omnis cura ciuitatis tendit ad salutem publicam (§. 714.), hoc est primario ad securitatem: dein ad sufficientiam quoque (§. 698.). Ad utrumque igitur finem summus imperans tum leges, tum exsecutionem earum dirigendi ius habet.

### §. 758.

Securitas reipublicae consistit in securitate omnium et singulorum ciuium tam respectu exterorum; quam respectu conciuim: illa vocatur SECVRITAS EXTERNA; haec INTERNA.

### §. 759.

*Securitas interna* requirit, vt

- 1) a singulis ciuib⁹ laesiones conciuim arceantur,
- 2) vt subditus laesus violentia omni abstineat,
- 3) vt laeso damnum datum reparetur, et securitas eius in posterum stabiliatur, quod dicitur in specie *iustitiam administrare*.

Securitas interna sub se continet *tranquillitatem publicam*, id est absentiam violentiae subditi in quemcunque ciuem, et speciatim in consubditum.

### §. 760.

## §. 760.

Hinc ius est imperii ciuilis, efficiendi ut suum cuiusuis subditi sit certum, consequenter determinandi, *id quod suum ciuale subditorum est.*

Huc pertinent omnes leges, quibus iura personarum et rerum, modi acquirendi, et alienandi, iura occupationis, accessionis, pactorum et contractuum, dominii, seruitutum determinantur; ius testandi, praescribendi, consensus praesumti constituitur; forma legitima et solemnitates negotiorum iuridicorum praescribuntur cet.

## §. 761.

Hinc porro deriuatur ius, lites subditorum decidendi, quod appellatur **POTESTAS IUDICIARIA**, seu **TURIS DICTIO SUPREMA**, et ipse imperans inde vocatur **IVDEX SVMVS**.

Vi potestatis iudicariae imperans constituit officiales publicos, qui suo nomine ius dicunt subditis, et hinc vocantur *iudices subordinati*, collegium vero iudicum eiusmodi dicunt *magistratum, iudicium, tribunal.*

Iisdem leges fert, quo modo et ordine in decidendis litibus atque exsequendis iudicatis versari debeant.

Generatim per magistratus etiam inuigilari curat custodiae legum sanctionumque poenali-  
um (§. 742.).

### §. 762.

*Securitas reipublicae externa requirit, vt tantus existat apparatus ad coactionem compatus, quantus sufficit ad laesiones, ab exteris reipublicae imminentes, propulsandi, illatarum reparationem exigendi.*

### §. 763.

Huius medium potissimum situm reperitur in militia et fortalitiis, seu locis munitis per milites defendendis. **MILES** est qui ad securitatem publicam vi tuendam nomine principis est acinctus. Societas militum vocatur **MILITIA**.

### §. 764.

Ius militiae et fortalitorum et omnis apparatus bellici est ius maiestaticum.

In specie hoc refertur

- 1) ius milites conscribendi, eorumque delectum habendi,
- 2) ius sequelae, quo subditi in vim adhibendum euocantur,
- 3) ius exstruendi fortalitia,
- 4) ius

- 4) ius praefidiis instruendi fortalitia,
- 5) ius fabricandi arma,
- 6) ius armandiae, seu armamentaria publica  
habendi, cet.

### §. 765.

#### Milites

- 1) gerunt munus publicum,
- 2) rempublicam operis suis defendunt, et  
onus praecipuum ferunt, hinc a republica et  
imperante alimenta exposcendi ius habent, vnde
- 3) subditis reliquis obligatio incumbit, ad  
sustentandos milites pendere tributa.

### §. 766.

Ad sufficientiam vitae seu alterum salutis  
publicae caput requiritur, ut cuique subdito se  
perficiendi, quanta fieri potest, facilitas prae-  
beatur. Eoque nomine summo imperanti ius  
est, curandi omnia, quae ad perfectionem sub-  
ditorum tum quoad animam, tum quoad cor-  
pus, tum quoad statum externum spectant.

### §. 767.

#### Quod ad *animam* attinet,

- 1) ius est imperanti in omnia, quae ad sapi-  
entiam et virtutem formare subditorum animos  
possunt, consequenter etiam
- 2) ius

2) ius impediendi doctrinas et actus externos, qui ad corrumpendum intellectum deprauandamque voluntatem subditorum comparati sunt.

### §. 768.

Hinc ut scientiis artibusque tum singuli ciues perfectiores fiant, tum vniuersae ciuitatis salus promoueatur; ius est summo imperanti: ordinandi *scholas* et *academias*, *magistros*, *doctores*, *professores*; priuilegiis praemiisque ad studia et artes reipublicae salutares alliciendi subditos; cohibendi contra publicam rerum nocuarum propagationem.

1.) Huc et pertinet ius imperantis circa religionem subditorum et ecclesiam, de quo infra pluribus.

### §. 769.

Quod ad *corpus* et vitam attinet, iure summi imperii curatur, quidquid ad conseruandam sanitatem, ad sufficientiam in vietu, amictu, habitatione subditorum pertinet.

### §. 770.

Quod denique statum externum, patrimoniumque subditorum concernit; illud augendi omni modo curat: quippe in opulentia singu-

singulorum quum salutis, tum securitatis quoque externae vertitur cardo.

Hinc ius imperantis, industriam subditorum excitandi, culturam agrorum, opificia, commercia promouendi, societas huc pertinentes iungendi, priuilegiis dotandi, ad commercia vias publicas aptandi, monetas cudendi, cet. uno verbo POLITIAM ordinandi, quae consistit in complexu omnium mediorum, quibus bona corporis et status externi subditorum tum conseruantur tum augentur.

### §. 771.

Haec sunt praecipua iura, quae maiestati inherent in *statu ciuitatis ordinario*. In quo quidem statu imperanti simul obligatio iucubbit, et singuli cuiusuis subditi salutem priuatam, quantum fieri potest, promouendi, multo itaque magis eam non turbandi atque infringendi.

Pone vero *statum extraordinarium reipublicae*, quando eius conseruatio totalis collidit cum singulorum quorumdam salute: tenetur imperans anteponendi conseruationem integrae ciuitatis saluti singulorum quorumdam, ideoque ei ad idem ius est (§. 722.).

Hinc

Hinc deriuatur ius imperantis EMINENS, hoc est ius imperantis, negligendi salutem singulorum quorumdam subditorum in collisione cum conseruatione ciuitatis totali, seu in extrema reipublicae necessitate.

Hoc iure si disponit de subditorum quorumdam bonis; vocatur DOMINIVM EMINENS: si de ipsis subditorum personis; IMPERIVM seu POTESTAS EMINENS.



IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS  
 CAPUT III.  
 DE  
**LEGIBVS FVNDAMEN-**  
**TALIBVS**  
 ET  
**FORMIS REIPVBLICAE.**

§. 772.

**H**aec tenus in naturam imperii ciuilis in genere inquisiuimus, dum supposuimus pactum subiectionis, quod in genere ad salutem publicam imperium ciuale constituit (§. 714.). Nunc si considerauerimus, *quid pacto subiectionis variari possit*, ad specialiora progrediemur.

§. 773.

Generatim omnis ciuitas constituitur pactis ciuium (§. 705.). Ciuitas singularis est omnimode determinata. Eiusmodi pacta, quibus determinatur constitutio reipublicae singularis, vocantur **LEGES FVNDAMENTALES**.

Vnde 1) lex imperii fundamentalis non confundenda cum lege priuata, quae a sola imperantis voluntate pender, solosque subditos strin-  
 git

git (§. 773.); sed ceu verum pactum solum ex natura pacti aestimanda, et omnes ciues pacifcentes obligat (§. 393.).

2) Pactum est vel expressum vel tacitum (§. 401.): hinc et leges fundamentales sunt utriusque generis. Lex fundamentalis tacita vocari solet OBSERVANTIA reipublicae.

Eoque sensu eadem inter obseruantiam et consuetudinem (§. 737.), quae inter legem fundamentalis et priuatam, intercedit differentia.

#### §. 774.

Ad constituendam ciuitatem quamcumque requiritur pactum et unionis et subiectionis (§. 706.). Utrumque in omni ciuitate singulari efficit legem fundamentalis (§. 773.).

#### §. 775.

Quod pertinet ad pactum subiectionis, necesse est, ut illo ad minimum determinetur tum

1) imperium ciuale summum, tum

2) persona imperantis,

Atque eatenus conueniunt omnes omnino primae cuiusque ciuitatis leges fundamentales.

#### §. 776.

Variari autem potest utraque illa tum ipsius imperii, tum personae imperantis determinatio: si qui-

siquidem vtraque et in diuersis ciuitatibus, et in vna ciuitate diuerso tempore, diuerso modo fieri potest.

### §. 777.

Primum nempe, quod ad ipsius imperii determinationem attinet, vel generatim illud modo, vti haec tenus supposuimus, ad salutem publicam in genere imperanti committitur, adeoque soli eius iudicio et voluntati, quid ad salutem publicam fieri debeat, relinquitur; vel adhuc specialius imperium determinatur.

Huic enim in lege fundamentali modum quemcunque praescribi, quin obseruantia etiam (§. 773.) limites constitui posse, nullum dubium (§. 713.).

### §. 778.

Ex omni imperii determinatione certi *limites imperii* oriuntur. Quare quum omne ciuale imperium sua natura limitatum sit (§. 718.): eiusmodi **L I M I T E S**, quatenus ad salutem publicam tantum locum habet imperium ciuale, **N A T U R A L E S** vocantur. Quidquid vero praeterea additur ad magis adhuc determinandum ciuale imperium, **L I M I T E S A R E I T R A R I O S** afficit.

Sicque IMPERIVM, quod limitibus naturalibus tantum; ABSOLVTVM: quod praeter naturales etiam arbitrariis limitibus circumscriptum; RESTRICTVM vel LIMITATVM in specie dicitur.

Variantur itaque leges imperii fundamentales: prouti vel naturales tantum, vel arbitrarios praescribunt imperii limites, ipsumque adeo imperium vel absolutum vel restrictum efficiunt.

### §. 779.

In absoluto imperio

1) subditi perfecte obligantur ad omne id, quidquid summus imperans ad salutem publicam praescribit;

2) quod ad salutem publicam conducat noceatur, arbitrio imperantis committitur (§. 778.).

### §. 780.

E contrario itaque restringitur ciuile imperium:

1) dum excipitur aliquid a iure illo dirigen- di actiones subditorum;

2) dum non soli iudicio et voluntati imperantis, quid ad salutem publicam conducat, relinquitur.

## §. 781.

Quatenus subditorum actiones a summo imperante non diriguntur; eatenus illi libertate naturali vtuntur (§. 715.). Hinc dum ex parte populi in lege fundamentali vel per obseruantiam actiones quaedam subditorum a directione imperantis eximuntur; libertas illis naturalis reseruatur; et vicissim quatenus haec reseruata subditis in lege fundamentali vel per obseruantiam; eatenus nec imperanti ius est, dirigendi eiusmodi actiones, nec subditis obligatio, parendi imperanti.

## §. 782.

Sic reseruari subditis potest libertas: vt non fas sit tunc imperanti in re tali sub reseruatione ista comprehensa praecipere, quod lege naturali non praeceptum, vel vetare, quod lege naturali non prohibitum.

Qualium rerum quam innumerae possint fieri reseruationes; facile adparet, in quam variis imperii limites vel ex hoc solo capite incidere possint leges fundamentales.

1. Veluti potissimum sic subditis reseruari animaduertimus libertatem circa bona, circa munera suscipienda, circa militiam, religionem, emigrationem, occupationem cet.

2. Verbo: quotquot cogitari possunt singula  
maiestatica iura; tot sui cuique certi limites  
poni possunt, iisque adeo, ut res ipsa docet,  
in quatuor ciuitate alii, ita ut innumerae vel ab  
hoc solum caput concipi possint ciuitatum,  
quae restringit imperio videntur, species.

## §. 783.

Sin ita restringitur ciuile imperium, ut non  
foli iudicio et voluntati imperantis committatur,  
quid ad salutem publicam conducat noceatur  
(§. 778.); necesse est, alius statuatur modus,  
quo determinari illud possit. Qualis potissimum  
ille est, ut consensu populi vel totius vel col-  
legii quorumdam ex populo a summo imperan-  
te adhiberi debeat.

## §. 784.

Idque quum iterum vel in vniuersa reipu-  
blicae administratione, vel in singulis quibus-  
dam iuribus maiestaticis statui queat; inde in-  
telligitur, quomodo vterque modus restringen-  
di ciuile imperium aliquando coniungi possit;  
ita scilicet, ut in quibusdam tantum punctis li-  
bertatem naturalem non nisi adhibito populi  
consensu restringendi ius tribuatur imperanti, in  
reliquis absolutum ei detur imperium.

## §. 785.

## §. 785.

Quod porro ad personam imperantis attinet: opus est, ut ea quoquè lege fundamentali determinetur.

Constitutio reipublicae determinata quoad personam imperantis vocatur **FORMA CIVITATIS.**

## §. 786.

Est vero summus imperans vel persona singularis; vel moralis: persona haec moralis vel est integer populus; vel quidam determinati ciues seu collegium optimatum siue procerum.

Ciuitas, cuius imperans est persona singularis, vocatur **MONARCHIA**, et imperans monarchiae **MONARCHA, PRINCEPS**, ius vero monarchae, qua talis, **IMPERIUM MONARCHICVM** seu **PRINCIPATVS**. Ciuitas cuius imperans est integer populus, vocatur **DEMOCRATIA** seu **RESPUBLICA POPVLARIS**.

Ciuitas, cuius imperans est collegium optimatum, appellatur **ARISTOCRATIA**.

Aristocratia et democratis in eo conueniunt, ut utriusque imperans sit persona moralis, et ciuitas cuius imperans est persona moralis,

vocatur RESPUBLICA *in specie*. Hoc sensu  
omnis ciuitas vel est monarchia vel respublica.

### §. 787.

De Monarchia inchoemur. Omne imperium  
ciuale est ex pacto subiectionis (§. 714.) :  
vnde patet, omne imperium monarchicum in  
genere adquiri pacto. Quod vero attinet ad  
speciales modos, habendi principatum, obser-  
uandum, imperium monarchicum considerari  
posse, vel quatenus *originarie*, vel quatenus  
*deriuatiue*, hoc est vel ab initio ciuitatis, vel in  
ciuitate iam olim constituta adquiritur.

### §. 788.

*Originarie* principatus adquiritur consensu  
subditorum vel vi extorto vel spontaneo (§.  
704.) : hoc est vel *bello*, seu potius pacto pacis,  
vel electione.

### §. 789.

*Deriuatiue* principatus itidem adquiritur  
vel bello vel consensu spontaneo.

Consensus spontaneus diuersis effici potest  
modis. Nimirum aut lege fundamentali in  
antecessum definitur, quis post mortem primi il-  
lius principis in monarchia succedere debeat,  
vel minus definitur.

### §. 790.

§. 790.

Si lege fundamentali definitum non est: quis principi, si decesserit, successurus fit? descendente illo perdurat quidem pactum unionis (§. 705.) ; exstinguitur autem subiectionis pactum. Hinc nemini tunc amplius in totam ciuitatem ius, donec denuo delatum; adeo, ut in pristinum statum ciuitas redeat, quo primum imperantem constituit (§. 788.).

§. 791.

Lex fundamentalis, quae in antecessum definit, quis post mortem principis imperium obtinere debeat, vel nouae electioni quovis casu id committit, vel citra nouam electionem iam consensu populi continet, ut in aliud transeat imperium. Priori casu principatus adquiritur consensu concomitante populi; posteriori casu consensu eius antecedente: illic ex electione populi; hic ex iure antecessorum imperium monarchicum habetur. Inde ipsa monarchia dicitur vel ELECTITIA, vel SUCCESSIONIS seu HEREDITARIA.

§. 792.

In monarchia electititia imperans commen-

dare quidem potest successorem, non nominare; sed solum id nouae electioni relinquere debet. Noua autem futuri imperantis electio iam viuo adhuc praesente principe in antecessum institui potest; et tunc simulac princeps regens decedit, statim alter iam in antecessum electus eius locum occupat.

### §. 793.

Quoties vero in antecessum nulla electione facta imperans decedit, nondum quidem ipso iure alter imperans, nec generatim quisquam, qui ius ad summum imperium habeat, adest; nihilominus tamen non solum vnionis, sed et ipsum subiectionis pactum eatenus perdurat, ut ciues inter se inuicem obligati sint ad eligendum nouum imperantem.

### §. 794.

Interea quoties ille casus exsistit, ut nondum electo successore princeps decedat; toties, donec nouus electus, monarchia imperante vacat, qui status monarchiae deficiente principe *interregnum* vocatur.

### §. 795.

In interregno autem manet eadem ciuitas  
idem

idemque ciuilis nexus, durante quippe non vni-  
onis tantum, sed et subiectionis pacto (§. 793.). Hinc necessaria quoque in interregno reipublicae  
administratio, in primis quod ad eiusmodi iura  
maiestatica attinet, quae quiescere sere ne-  
queunt.

## §. 796.

Quamobrem monarchiae electitiae lex fun-  
damentalis non potest non simul casum inter-  
regni prospicere, ita ut definiatur in anteces-  
sum, quomodo tunc administratio reipublicae  
sit instituenda. Siue autem ea interim toti ite-  
rum populo, siue proceribus quibusdam, siue  
singulari homini committatur; *maiestas* interi-  
mistica seu *vicaria* est, et persona, quae impe-  
rio eiusmodi praeficitur,

1) generatim quidem omnia maiestatis iura  
exercet, sed

2) ex delegata tantum potestate et nomine  
populi, tamquam officialis reipublicae,

3) eius officium publicum sua natura ad tem-  
pus tantum durat, et

4) rationem gestae administrationis reddere  
nouo principi tenetur.

## §. 797.

Nec aliunde, quam ex eadem lege fundamentali aestimari potest, intra quodnam tempus, et quo modo instituenda noua electio.

## §. 798.

Inter eum vero, qui in electionem venit, populumque siue ipsum siue per proceres eligentem omnia ex natura pacti aestimanda, quo populus eligens personae electae imperium defert.

## §. 799.

Antequam itaque electio perfecta; is, qui in electionem venit, nullum ius habet. Hinc quavis in electione nouis imperium, quod offeratur electo, limitibus simul circumscribi potest, qui CAPITULATIONIS seu PACTORVM CONVENTORVM nomine tunc insigniuntur.

## §. 800.

Perfecta electione electi arbitrio committendum, vtrum imperium sibi oblatum suscipere, atque capitulationem simul praescriptam iniire velit, nec ne.

Quodsi declinat electus, eligendus aliis. Si acceptat; eo ipso imperans est, sed capitulationi tanquam legi fundamentali adstrictus.

## §. 801.

## §. 801.

*Monarchia successiva* est, in qua in casum deceffuri principis iam in antecessum populus consensum suum praebuit transferendo in alium successorem imperio citra nouam electionem (§. 791.). Id quod iterum tamen vel ita fit, ut imperium principi et in futurum eius posteris deferatur, adeoque successio tantum familiae principis tribuatur; vel ut imperium deferatur cum iure nominandi successorem. Prioris generis *successio* in principatum *simplex*, altera *qualificata* vocatur,

In monarchia igitur, quae admittit successione simplicem, successor adquirit imperium mediante consanguinitate: in ea vero, quae admittit successionem qualificatam, successor adquirit imperium mediante dispositione antecessoris.

MONARCHIA simpliciter *successiva* dicitur etiam VSVFRVCTVARIA: qualificatiue successiva PATRIMONIALIS.

Principi, qui habet imperium patrimoniale, competit ins alienandi principatum. Ius alienandi vero non praesumitur, si imperium consensu spontaneo subditorum est delatum (§. 685.). Ergo omnis principatus, qui bello quaesitus non est, praesumitur usufructuarius, nec est patrimonialis nisi consensus populi expressus probari possit.

§. 802.

## §. 802.

In monarchia, patrimoniali princeps regens ius habet denominandi successorem; modum vero, quem in denominando successore seruare debeat; ex lege fundamentali aestimari oportet.

## §. 803.

Rite denominatus successor indubium ius habet in imperium; nec a populo dein excludi vel praeteriri potest.

## §. 804.

Si princeps patrimonialis decedit, non facta successoris denominatione; tunc, quatenus in euentum familiae simul principis ius in imperium delatum, proximus ex familia succedit, et resoluitur successio qualificata in simplicem.

## §. 805.

*Successio simplex* posteros imperantis admittit. Horum vero quum plures simul esse possint et soleant; quo ordine ii ad successionem in imperio vocandi sint, necessario definiri oportet in eadem lege fundamentali, quae successionem simplicem in regno stabilit.

## §. 806.

Nempe inter plures aut electio commititur  
princi-

principi regenti ; aut ipsa lege fundamentali, quis imperio potiri debeat, definitur.

### §. 807.

Priori casu iterum fere necessaria lex fundamentalis, quae definiat modum, quo voluntatem de praferendo hoc vel illo declarare debeat princeps regens, quidque in casum, si voluntatem suam non declarauerit, statuendum sit.

### §. 808.

Ipsa lege fundamentali ordo successionis potissimum ita quidem definitur, ut filius semper in locum patris succedat, et sic perpetuo in descendente linea, quam diu haec durat, continuetur successio. Praeterea vero, necesse est, simul definiatur :

1) si filii ex ultimo defuncto non adsint, an et quomodo collaterales, vtrum secundum gradus, an lineas, item vtrum feminae quoque et ex iis oriundi, an mares tantum stirpisque masculinae descendentes ad successionem admitti debeant?

2) pluribus eiusdem ordinis simulue, an uniuersitatem ex iis successio tribuenda sit?

I. Si plures simul admittuntur, iterum vel divisio, vel communio, vel alternatio statuitur,

tur. Sin vnuſ tantum ex pluribus; vel pri-  
mogenitura, vel maioratus senioratusue.

### §. 809.

In successione simplici qui secundum leges  
imperii fundamentales proximus ordine est, ip-  
so iure ad imperium ius quaesitum habet.

### §. 810.

Si successio cadit in impuberem, aliumue  
impeditum, vicaria administratione tutelaque  
opus est; quam proinde iterum lex fundamen-  
talis, hoc genus imperii statuens, prospicere  
debet.

### §. 811.

Si posteri imperantis ad successionem qua-  
lificati amplius non adsunt; extincta stirpe re-  
gnatrice in successione simplici extinguitur ef-  
ficacitas legis illius fundamentalis, qua familiae  
huic delatum imperium. Durat interim pactum  
unionis; et in eum statum recidit ciuitas, quo  
ante pactum subiectionis fuerat. Hinc potest  
tunc populus noua lege fundamentali nouum  
imperio modum scribere; quodsi vero sine no-  
uis limitibus alteri cuidam familiae imperium de-  
fert; continuatur pristina priorum legum fun-  
damentalium efficacitas.

### §. 812.

## §. 812.

Ceterum in monarchia penes solum principem summum imperium est, cui omnes, qui in territorio degunt, et vel eae quoque, quae ad familiam principis pertinent, personae sub sunt.

## §. 813.

Interim non tantum omnium monarcharum imperium sua natura limitatum est (§. 718.), sed et quilibet princeps pro suis cuiusque reipublicae legibus fundamentalibus obligatur

1) ad relinquendam subditis libertatem, vbi ea reseruata (§. 781.), et

2) ad adhibendum procerum seu *ordinum imperii* consensum, vbi illius necessitas praescripta (§. 783.).

## §. 814.

In *democratia* imperium est penes ipsum populum (§. 786.); quem proinde duplici modo hic considerari oportet, adeo ut totus populus tamquam una persona moralis sustineat personam imperantis, et singuli ciues sint subditi.

## §. 815.

Totus vero populus vt

1) unam determinatam personam moralem efficiat,

efficiat, necesse est, ut lege fundamentali definiatur numerus ciuium, et quis in illum referendus sit; ac praeterea

2) ut imperium exercere, adeoque vnam voluntatem declarare possit, pariter definiendum, quid pro vna totius populi voluntate habendum sit.

### §. 816.

Hinc administratio reipublicae democraticae potissimum in conuentu totius populi siue in *comitiis* exercetur. Inque iis ex lege fundamentali obseruantiae diiudicandum; quomodo conuocetur populus, quomodo proponantur, suffragia ferantur, numerentur, concludatur certe-

### §. 817.

Quoniam vero difficile, quoties administratio reipublicae id requirit, semper vniuersus populus conuenit; auctoritate populi in democracia singularia eius administrationis capita committuntur certis personis collegiis eum in finem ordinatis, ceu *deputationibus*, *magistratus* siue perpetuis, siue temporariis.

### §. 818.

In *Aristocracia* summum imperium est penes proceres quosdam, qui pariter eatenus personam

personam moralem constituunt, atque alio respectu qua singuli, non minus, ac reliqui ciues, subditi sunt.

§. 819.

In Aristocratia igitur lege fundamentali definiendum est:

1) quot et quinam proceres imperio potiri debeant; iisque vtrum iure familie hereditario, an personali tantum siue vitae, siue breuiori adhuc tempore circumscripto?

2) quomodo istorum procerum efficienda una voluntas?

§. 820.

Praeterea non minus ac monarchia limitibus arbitrariis circumscribi potest imperium aristocraticum.

§. 821.

Quumque ipsa vniuersa reipublicae administrationis pluribus modis dispertiri possit (§. 732.); nil impedit, quo minus ex pluribus reipublicae formis componatur *mixta* quedam forma, veluti si monarchae quidem summum committitur imperium, certa vero administrationis reipublicae

publicae pars proceribus totius populo ~~com~~  
fuditur.

### §. 822.

Quin, quatenus etiam leges fundamentales  
novo populi atque imperantis consensu mutari  
possunt (§. 489.), vel deficiente persona impē-  
rantis efficacitate sua destituuntur (§. 790.);  
mutari altera reipublicae forma in alteram potest.

Et sic generatim quoque diuersitas formae  
sub diuerso reipublicae statu comprehenditur,  
adeo ut et salutis publicae ratio haud parum  
pro diuersis formis rerum publicarum varietur  
(§. 720.).

### §. 823.

Demum plurimi quoque ciuitatum coniunc-  
tiones cogitari possunt. Quae tunc iterum vel  
commune habent imperium; vel minus.

### §. 824.

Ex pluribus ciuitatibus sub uno communi  
imperio coniunctis, quatenus eadem lege fun-  
damentali vtuntur, iterum una oritur ciuitas:  
siue tunc designat pristinum singularum ciuitatum,  
quae iam coalescunt, imperium; siue perma-  
neat illud quasi in rebus publicis specialibus, mo-  
do vni supremo imperio subordinatum.

1. Sic et plures ciuitates per nouum sponte initum vnionis et subiectionis pactum in veniam ciuitatem maiorem coire; et vni ciuitati tamquam principali aliae iure belli et pacis a lioue pacto accedere seu *incorporari* possunt.

2. Viciissim ex vna ciuitate, veluti ex monarchia restricta, si ordines forte imperii ad ipsa maiestatica iura adspitant, plures *respublicae speciales* enasci possunt.

3. Contra plures ciuitates sub uno imperante constitutae, si diuersis vtuntur legibus fundamentalibus, vnam ideo ciuitatem non efficiunt.

### §. 825.

Plures ciuitates coniunctae citra nouum commune imperium, si vel maxime communem quemdam finem colant, non nouam ciuitatem constituunt, sed **S Y S T E M A** tantum **C I V I T A T V M F O E D E R A T A R V M**, siue **A S S O C I A T A S R E S P U B L I C A S** efficiunt, quas **A C H A I C A S** quoque adpellant.

### §. 826.

Proprie itaque *summum* in ciuitate requiriatur *imperium*, adeo ut imperante nemo detur superior. Qui proinde nulla lege positiva obligatus, nec iudiciis poenisue subiectus, libertate potius naturali vtitur.

## §. 827.

Hinc si plures in idem imperium sibi simul ius tribuunt, ob dubia forte in successione vel electione enata; lis haec a nemine decidi potest, sed populus fauore tantum necessitatis alterum imperantem agnoscit, aut victori cedit; alterum *aemulum regni* relinquit.





## IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

## CAPVT IV.

DE

MODO IVS SVVM PERSE-  
QVENDI IN CIVITATE.

## §. 828.

**L**aesio in ciuitate adest, quoties ciuis ciui suum non tribuit (§. 711.).

Laedens est vel subditus vel imperans. De vtriusque laesione sigillatim tractandum.

## §. 829.

Laesiones *subditi* varii generis esse possunt, pro varietate scilicet

- 1) legis, contra quam perpetratur,
- 2) facti, quod inuoluit, minus recti, et
- 3) perionae, quae laeditur.

## §. 830.

*Lex* est vel naturalis vel positiva. (§. 738.). Lex naturalis obligat omnes homines, ideoque etiam subditos ciuiles, quatenus per legem positivam ad salutem publicam aliter determinata

non est. Itaque subditus fit laedens non tantum, legem positivam; sed naturalem etiam transgrediendo, quatenus haec per positivam aliter determinata non est.

*Lex positiva* porro vel sanctione paenali munita est vel minus munita, seu brevius, vel est *poenalis* vel *non-poenalis* (§. 611.).

### §. 831.

Omnis laesio porro inuoluit factum minus rectum (§. 112.): indeque laesio subditi vel est moralis, vel non moralis, et moralis laesio vel est culposa vel dolosa (§. 253.).

Factum subditi dolosum vocatur CRIMEN seu DELICTVM.

### §. 832.

Persona, quae a subdito laeditur, vel est consubditus vel tota ciuitas, aut qui eam representat, summus imperans: unde laesio subditi et speciatim crimen diuiditur in PRIVATVM atque PVBLCVM.

i. Criminis publici exempla sunt crimes seditionis, rebellionis, perduellionis, cert.

### §. 833.

Summi imperanti competit ius ex cura securitatis internae, efficiendi, ut suum a quo quis subdito

subdito cuilibet tribuatur, ideoque, ut tum omnis laesio caueatur, tum dampnum a subdito datum reparetur.

Vno verbo: imperanti competit *ius, cogendi* subditum, vt suum cuique tribuat: siue lex naturalis, siue positiva violetur; siue laesio sit moralis, seu non moralis; seu culposa, siue dolosa; siue denique sit priuata, siue publica.

### §. 834.

In specie quoad attinet laesiones subditi morales, quum imperantibus sit, subditos moraliter obligandi, consequenter etiam moraliter ius imputandi facta culposa et dolosa: ei competit *ius*, qua imperantibus, mala subdito inobedienti seu moraliter laedenti infligendi, hoc est *ius puniendi* (§. 611.).

Quod *ius poenam infligendi circa reatum contra leges positivas* est pars potestatis exsecutoriae (§. 742.): circa reliquas laesiones morales nascitur ex cura securitatis internae.

1. Quum laesio moralis contineat actiōnem, quae quantum ex diuersis circumstantiis admittit, ideoque minus magisue est imputabilis; sequitur *ius imperantis*, pro gradu moralitatis diuerso determinandi gradum poenae minorem maioremque.

2. Ceterum quum ius puniendi sit maiestaticum (§. 733.): sequitur imperantis ius in specie respectu legum poenitentiarum, tum pro gradu moralitatis, quem laesio continetur ob alias salutis publicae rationes poenam *exasperandi*, vel *mitigandi*, vel prorsus a poena delinquentem eximendi seu *aggravandi* laudentem.

### §. 835.

Pone factum subditi morale, quo 1) damnum alicui datum, 2) et simul lex poenalis violata est: tenerur laedens

- 1) ad damnum laeso datum reparandum,
  - 2) ad patiendam poenam lege praescriptam.
- Hinc in eiusmodi criminibus dicitur delinquens teneri ad *satisfactionem* et *priuatam* et *publicam*.

Quodsi hoc casu delinquentem aggratiat imperans: tamen eo ipso non eximit ab obligatione, damnum datum reparandi. In satisfactionem priuatam laeso ciui ius est, quod ius imperans ei citra casum necessitatis auferre nequit.

### §. 836.

Mala, quae ab imperante subdito delinquenti inferuntur, varia cogitari possunt. Maximum et formidolosissimum est ultimum supplicium, quod

quod ius summi imperantis, ultimo suppicio  
adficiendi delinquentem subditum, vocatur IUS  
NEGIS seu GLADII, quibusdam quoque  
IUS VITAE ET NECIS.

Ius securitatis publicae inuoluit etiam ius  
ad media securitatis necessaria. Simul igitur  
atque ex crimine subditi vel ob atrocitatem fa-  
cti, vel ob pessimum exemplum imminet reipu-  
blicae graue periculum, ius est imperanti peri-  
culum propulsandi, vita plectendi subditum.

Ius vitae et necis impropre quidem refer-  
tur ad ius puniendi (§. 687.), sed sufficit, illud  
competere imperanti, non tantum qua socio pa-  
ciscenti laefo contra laedentem, qui habet ius  
hostis in hostem; sed etiam quatenus reprae-  
sentat totam ciuitatem, cuius securitatem viola-  
tam per internacionem laedentis vindicat.

1. Ex eodem principio, quo ius vitae et necis,  
deducitur etiam *relegatio perpetua, proscriptio,*  
cet.

### §. 837.

Semper autem, an factum, ex quo laesio  
illata imminensue colligitur, adsit, et an secun-  
dum leges imputari possit, inquirendum prius;  
id quod per iudicia ac magistratus fieri curat

imperans (§. 761.), siue ex officio, siue ad delatas aliorum subditorum *fiscalis* querelas, qualis est officialis eum in finem constitutus, ut in facta subditorum laesione*m* imperantis inuoluentia inquire, atque hanc caueri curet.

## §. 838.

*Imperans ciuilis laedit subditos*, quando violat pactum subiectionis et leges fundamentales; dum salutem publicam curare neglit vel prorsus euertit; imperium, quod in salutem publicam dirigendum est, in proprium dumtaxat vergit commodum; limites imperii arbitrarios excedit; iura subditorum quae sita citra ullam necessitatis rationem inuadit, cet.

Generatim ex superioribus satis est manifestum, imperantem, qui subditos suos laedit, esse paciscentem socium, qui compaſſcentes socios laedit,

## §. 839.

Laedit imperans vel singularem subditum, vel integrum populum aut ad minimum insinuarem eius partem: ex qua laesionum differentia nascitur decisio maxime diuersa.

## §. 840.

## §. 840.

Quod primo attinet subditum singularēm laesum: obseruandum, talem subditum teneri duplice pacto, tum summo imperantī quoad subiectionem, tum populo quoad vniōnem (§. 705.).

Limitatur itaque ius singularis subditi laesi in imperantem laedentem per pactum vniōnis, ita ut ius laesi persequi ultra, quam quatenus non violat pactum vniōnis, nequeat.

## §. 841.

Pactum vniōnis obligat quemcumque subditum ad non turbandam tranquillitatem publicam (§. 705.), quod cum fiat violentia omni contra imperantem adhibita: subditus quilibet tenetur hoc casu abstinenti ob omni violentia iuris sui persecutione.

Haec violentia eo magis foret nefaria: quod nemo hominum, ob existimationem simplicem connatam, quanto minus summus imperans, excelsissima maiestatis dignitate super omnes subditos eminens, iniustus sit praesumendus (§. 373.); ideoque, quidquid forte contra ius singularis subditi egerit; ex ignorantia vel errore egisse,

et

et tollere velle laesionem, simul atque caussam cognouerit, sit iudicandus.

## §. 342.

Subditus igitur ab imperante laesus non nisi placidis modis, litteris supplicibus, obsequiosa grauaminum expositione saluti suae priuatae consulendi ius habet.

## §. 343.

His vero frustra iterum iterumque tentatis rectius egreditur e ciuitate, quam adhibita violentia in publicae tranquillitatis perturbatione quaerere commodum proprium sibi arroget subditus singularis.

## §. 344.

Si integer populus aut pars eius insignis laeditur ab imperante: pactum vnionis et salutis ratio publicae populum obligat, vt itidem omnia mediis placidis ante tentare allaboret, quam armis in viscera propria faeuire cooperit.

Est itaque illud non ius imperantis; sed obligatio subditorum, qua sociorum pacti vnionis, erga se inuicem, quae efficit, vt violenter imperantem cogere ad seruandas leges funda-

menta-

mentales, ad tollendas iniurias subditis illatas, vel penitus excusso iugo tollere pactum subiectionis, sit nefas; nisi imperans ad summum laesiorum gradum abripiatur.

§. 845.

In *monarchia* in specie *princeps*, qui manifesto proposito in exitium reipublicae imperio suo abutitur, vocatur *TYRANNVS*, eiusque, qua talis, imperium *TYRANNIS*.

Populus contra tyrannum ex iure naturali non prohibetur ut iis iuribus, quae competent pacienti subdito laeso contra pacientem imperantem laedentem, hoc est non prohibetur vel agere violenter, ut abstineat a tyrannide, atque intra salutis publicae limites reducat imperium; vel recedere a pacto subiectionis, atque alteri committere salutis publicae curam, quod fit *dethronisatione*.

§. 846.

Tyrannus ceterum est aggressor in statu naturali: populus defensor sui exuens statum subiectionis in naturalem statum reuertitur.

Hinc populi in tyrannum violentia est hel-

lam

lum, et ius populi belligerantis ex iure hostis iusti in iniustum est determinandum.

### §. 847.

His principiis stabilitis facile liquet, quid sentiendum

1) de *machiavellistis*, qui populo imponunt obedientiam passiuam, et principi tribuunt irresistibilitatem ita, ut iniuriam facere populo suo nequeat,

2) de *Monarchomachis*, qui populo subiiciunt principem, ita ut ob iniustitiam contra subditos commissam a populo possit puniri.

### §. 848.

Tyrannis est abusus imperii monarchici: tyrannidi similis est in republica aristocratica *dynastia* seu *oligarchia*, in populari *ochlocratia*, quae denotant abusum imperii aristocratici vel popularis.

Ciuium qui laeduntur, contra eos, qui oligarchiam exercent, vel in ochlocratiam concidunt rempublicam, violentia iusta est. Quum vero

Vero in aristocracia et democracia quilibet singulus optimatum et magistratum popularium simul sit subditus: sequitur, ut qui oligarchiam exercent; a collegio aristocratico: qui ochlocratiam; a populo integro poena adfici iure meritoque possint.



## CAPVT V.

## IVS ECCLESIASTICVM

## TITVLVS I.

IVS ECCLESIASTICVM IN  
GENERE.

§. 849.

**S**alus, qua finis summus, congregauit homines in ciuitatem. Hunc finem intra vitae huius cantineri cancellos obseruauimus. Ast homines, ad finem longe sublimiorem adspirantes, ex conceptu dei ad immortalitatem animae et vitae post mortem argumentum ducentes, de felicitate aeterna solliciti, eiusque medium in cultu dei ponentes, vnitis viribus ad hunc finem persequendum se sociauere.

§. 850.

RELIGIO est determinatus deum colendi modus: et societas, quae aeternae felicitatis caussa religionem exercet, vocatur ECCLESIA seu SOCIETAS ECCLESIASTICA.

§. 851.

§. 851.

Ex diuerso, quem homines sibi efformarunt de Deo mediisque ei placendi conceptu enata plura eaque diuersissima religionum systemata, diuersae societates ecclesiasticae.

§. 852.

Ecclesiae hodie omnes religionem profitentur *positiua*, hoc est, quae ex principiis universalibus demonstrari nequit, ideoque agnoscunt quasdam propositiones, de Deo et mediis ei placendi, rationi incognitas, quae dicuntur **DOG M A T A F I D E I.**

§. 853.

His dogmatibus conuenienter colunt Deum variis actionibus internis et externis, quae generatim dicuntur **A C T V S R E L I G I O S I**, et in specie, quatenus sunt externae et sollemnes, **C E R E M O N I A E E C C L E S I A S T I C A E.**

In his consistit praecipua pars negotiorum ecclesiasticorum.

§. 854.

Ceterum in omni religione distinguendum id, quod arbitrio hominis subest; ab eo, quod arbitrium eius respuit: illud vocatur **A R B I-**

TRARIVM in religione; hoc NECESSARIUM.  
 Quatenus ex. gr. est res meri intellectus, vt alicui dogmati positivo fidem tribuam vel non tribuam; eatenus fidem tribuere vel non tribuere ab arbitrio hominis non dependet: et, si tribuo fidem; naturaliter est impossibile, vt eidem dogmati fidem denegem.

Id quod necessarium est in religione, vocatur etiam RES CONSCIENTIAE.

### §. 855.

Quidquid non admittit arbitrium, illud etiam coactionis est impatiens. (§. 52.), consequenter etiam obligationis moralis perfectae (§. 83.). Ergo id quod est necessarium in religione, seu res conscientiae, respuit coactionem et obligationem perfectam.

### §. 856.

Ecclesia vt sit societas obligatoria, requirit pactum, seu est pactitia.

### §. 857.

Religio supponit Deum et pro fine habet salutem aeternam: inde nascitur conceptus obligationis in Deum, infinite sublimioris ea, quae est in homines, adeo vt in collisione obligatio-

nis perfectae in hominem cum ea, quae Deo debetur, quilibet, illam negligere debere, ut huic satisfaciat, iudicabit.

### §. 858.

Itaque ea est intentio et conditio tacita pa-  
cifcentium de ineunda ecclesia, vt vltra nolint  
teneri ad profitendam hanc religionem, sequen-  
damque hanc ecclesiam; nisi quoad huius ecclae-  
siae religionem iudicauerint veram.

### §. 859.

Ecclesia per se non inuoluit imperium (§.  
850.): ergo per se est societas aequalis.

Quatenus autem religio subest obligationi  
perfectae (§. 855) : eatenus et subesse potest  
imperio. Sub dicta ergo restrictione ecclesia  
~~et A E Q V A L I S~~ et ~~I N A E Q V A L I S~~ esse potest.

### §. 860.

Ecclesia qua societas requirit *leges* (§. 604.).  
Leges ecclesiasticae omnes in aequali sunt *con-  
ventionales* (§. 619.): in inaequali vel per  
pactum subiectionis ecclesiasticae constitutae  
sunt, vel ab imperante sunt latae. Illae sunt  
*conventionales*; hae sunt leges *imperantis*.

## §. 861.

Administratio negotiorum ecclesiasticorum ecclesiae inaequalis determinatur per *imperium ecclesiasticum* (§. 608.); ecclesiae vero aequalis per mutuum consensum, et haec determinata negotiorum ecclesiasticorum in ecclesia aequalis administratio, dicitur **DISCIPLINA ECCLESIASTICA**.

## §. 862.

Si membrum ecclesiae obligationi ecclesiasticae non satisfacit: competit ecclesiae contra hoc membrum ea iura, quae tribuuntur socio pacienti laeso in laedentem (§. 634.).

Hinc ecclesia

1) excludere a societate ecclesiastica talum solum potest, quod vocant **EXCOMMUNICARE**, aut

2) cogere eum potest, ut obligationi sua satisfaciat, quatenus conscientiae eius vim non infert (§. 855.), et conditionem tacitam pacii ecclesiastici non violat (§. 858.).

## §. 863.

Membrum ecclesiae eiusmodi vel recedit ab eo, quod necessarium est in religione: vel ab eo, quod est dumtaxat arbitrarium.

Ad

Ad necessaria pertinent speciatim dogmata fidei. Membrum ecclesiae, recedens a dogmate fidei, vocatur **HAERETICVS.**

Itaque haereticus cogi quidem ad profiten-  
dam religionem, quam hactenus sequutus fuit,  
nequit; excommunicari tamen omnino potest  
(§. praec.).

### §. 864.

Membrum ecclesiae recedens ab eo, quod arbitrarium est in religione, quatenus pactum violat, cogi excludiue potest.

### §. 865.

Haec in ecclesia, siue aequali siue inaequali, sunt eiusdem iuris quoad membrum recedens a religione ecclesiae suae: ceterum excommuni-  
catio et coactio in ecclesia aequali decernitur  
communi membrorum ecclesiae consensu, in in-  
aequali vero ab imperante ecclesiae.





## IVRIS ECCLESIASTICI

## TITVLVS II.

IVS ECCLESIASTICVM  
PVBLICVM.

§. 866.

**S**imul atque Ecclesia in ciuitatem transfertur; ecclesia, vti omnis alia societas subiicitur summo imperanti (§. 725.): cui competit in ecclesiam ius supremum.

§. 867.

Hoc ius consistit in iure dirigendi ecclesiam ad salutem publicam, ideoque in iure,

1) tum cauendi, ne ecclesia noceat reipublicae,

2) tum efficiendi, vt per ecclesiam augeatur salus reipublicae.

§. 868.

Membra ecclesiae sunt simul subditi ciuiles, tota ecclesia est subiecta. Summo imperanti competit potestas legislatoria et iudicaria in singula ecclesiae membra atque in integrum ecclesiam qua subditos.

§. 869.

## §. 869.

Pone principem eiusdem cum populo suo religionis: princeps est membrum ecclesiae, ecclesia fit societas ab eo approbata, seu euadit *collegium publicum*.

## §. 870.

Ecclesia est subditus. Subditi omnes agnoscunt imperium in actionibus, quae salutem publicam concernunt: quae minus, dicuntur INDIFFERENTES ACTIONES seu RES MERAE FACULTATIS seu ADIAPHORA; in his gaudent libertate naturali.

## §. 871.

Vt vero summus imperans faciat, an actio quaedam subditi faciat ad salutem vel ei obfit, vel sit adiaphorum; necesse est, vt princeps cognoscat actionem. Ius hinc summae inspectio- nis principi in omnes subditorum actiones com petere adseruimus (§. 755.).

## §. 872.

Haec si applicaueris ad ecclesiam: patet,  
1) negotia ecclesiastica vel concerneré salu tem publicam, vel esse adiaphora,

2) principi in adiaphora ecclesiae non competere nisi ius summae inspectionis: ipsam vero adiaphororum directionem esse in arbitrio ecclesiae, ideoque pertinere ad ius collegiale ecclesiae,

3) denique in ea negotia, quae concernunt salutem publicam, principi competere ius, negotia eiusmodi ecclesiastica dirigendi pro imperio.

### §. 873.

Ceterum negotia ecclesiae vel sunt necessaria vel arbitraria. Illa respuunt coactionem et imperium; haec imperium admittunt (§. 855.). Illa igitur princeps inspicit; haec simul dirigit.

### §. 874.

Ius principis dirigendi per imperium ecclesiam ad salutem publicam dicitur **IUS CIRCA SACRA.**

Igitur ius circa sacra in ea dumtaxat extenditur ecclesiae negotia, quae

1) sunt arbitraria, et simul

2) salutem publicam concernunt.

### §. 875.

## §. 875.

In reliqua negotia, quae vel sunt necessaria vel adiaphora, tantum exercet *ius summae inspectionis*.

## §. 876.

Ex iure summae inspectionis datur *ius confirmandi*, id est ius publice adprobandi actiones et negotia ecclesiastica.

## §. 877.

Ad necessaria in ecclesia pertinent dogmata fidei, actus religiosi et ritus ecclesiastici, quantum continent negotia religioni *essentialia*, id est talia, quorum oppositum contradicit dogmatibus fidei.

Complexus dogmatum fidei in scripturam redactus appellatur **S Y M B O L U M E C C L E S I A E**, complexus rituum ecclesiasticorum **L I T H V R G I A**.

## §. 878.

Adiaphora difficiliter determinantur. Eadem negotia mox adiaphoris anumerari possunt, mox iis, quae salutem publicam concernunt.

Disciplina ecclesiastica, leges ecclesiae, constitutio eius ministrorum, conuentus seu syno-

di et concilia ecclesiae, ritus, qui sunt accidentales seu non sunt essentiales religioni, locus et tempus diuini cultus, adquisitio patrimonii ecclesiastici eiusque usus et dispositio, haereticorum excommunicatio pro diuersis circumstantiis pertinent ad adiaphora vel ad publicam salutem.

## §. 879.

De negotiis eiusmodi si inter imperium et sacerdotium oritur contentio: principis arbitrio standum; nisi contrarium probari luculentet possit (§. 717.).

## §. 880.

Negotia ecclesiae accidentalia, quae salutem publicam concernunt, sunt in specie lites, quae tum inter ipsa ecclesiae membra, tum inter officiales ecclesiae et subditos alios faeculares oriuntur, qualis generis lites omnes summae principis iurisdictioni dubio procul subsunt (§. 761.). Hinc referendum ad iura maiestatica, ius constituendi iudices ecclesiasticos, id est, qui nomine principis ius dicant personis ecclesiasticis atque circa res ecclesiasticas; ius determinandi, quae causae ad forum seculare vel ecclesiasticum per-

pertinere debeant; ius cogendi et puniendi membra ecclesiae, quae ab eo, quod arbitrium est in religione, recedunt.

Quae omnia in complexu sumta constituunt **IUS CONSISTORII**, hoc est summam iurisdictionem in ecclesiam. Ius igitur consistorii nemini in ciuitate competit nisi principi.

### §. 881.

Quodsi in ciuitate eiusmodi *noua* oritur *religio* et ecclesia: princeps habet ius eam prohibendi.

### §. 882.

Prohibitio haec vltra non extendenda, quam quantum *religio* et ecclesia imperii capaces sunt.

### §. 883.

Religio quoad id, quod in ea reperitur necessarium et cultum internum, coactionis est impitiens (§. 855.): non vero exclusionis. Ergo vi haereticus excludi potest ab ecclesia: ita et haereticus subditus excludi simul potest a ciuitate, seu iuribus ciuiis priuari; non vero poena in specie adfici.

### §. 884.

Religio quoad arbitraria et actus externos coactiorem admittit; ergo eatenus cultus exteriorus,

ternus, conuentus religiosi, rituum celebratio-  
cet. prohiberi possunt sub poena ciuili.

### §. 885.

Si princeps nouam ecclesiam non reprobat; ius circa eamdem, qua princeps, retinet. Sed eius exercitium ecclesiae perpetuo videbitur periculosum (§. 857.). Itaque subsistere noua ecclesia diu nequit, nisi pactis cum principe saluti suae caueatur.

### §. 886.

Eiusmodi pacto vel publicum; vel priuatum religionis exercitium nouae ecclesiae conceditur: priori casu ecclesia dicitur approbata, et fit collegium publicum; posteriori tolerata.

### §. 887.

Vice versa si Princeps mutat religioem; retinet quidem, sicuti antea, ius circa sacra et ius summae inspectionis: sed dum illud exercet, fieri nequit, quin incidat in suspicionem, se vertere ius suum in ecclesiae perniciem. Igitur sine pactis, quibus mutua inter principem et ecclesiam iura stabiliuntur, tranquillitatem reipublicae diu consistere non posse, onnis aeui historia testatur.

### §. 888.

## §. 888.

His pactis *iura* et *obligationes* principis et ecclesiae mutuae mere *positiuae* constituuntur, quibus immorari in iure publico vniuersali non possumus.

\* \* \*      \* \* \*      \* \* \*

Nunc progrediendum esset ad *ius priuatum vniuersale*, quod complectitur *iura* atque *obligationes* subditorum ciuilium mutuas (§. 709.): quae quidem *iura* atque *obligationes* erui debent ex principio: *subditus ciuilis consubdito tribuat suum ciuile* (§. 711.).

Et facili quidem negotio plures hoc loco deducere possemus propositiones, reuocato in auxilium 1) iure mere naturali, 2) iure sociali vniuersali et 3) iure societatum minorum: quippe ex quorum principiis ad statum subditorum ciuilium adplicatis enascitur omne *ius priuatum vniuersale*. Nam *ius priuatum vniuersale* nihil aliud est nisi *ius naturale* (hoc est *ius mere naturale, sociale et ius societatum minorum vniuersale*) ad subditos ciuiles applicatum.

Verum enim vero si penitus hanc rem investigaueris; non difficulter poteris conuinciri,

nihil

nibil noui atque determinati iuris vel obligatio-  
nis in iure priuato vniuersaliter adsfirmari posse.

Nimirum omnis obligatio subditi ciuilis er-  
ga consubditum vel est obligatio subditi ciuilis  
qua talis, vel non qua subditi ciuilis. Hanc  
dicimus in genere naturalem (§. 596.) ; illam  
dumtaxat *ciuilem obligationem*, cuius sunt cor-  
relata ius ciuale et suum ciuale subditi respectu  
consuitorum.

Quum ius priuatum vniuersale deducendum  
sit ex principio : *subditus tribuat consubdito suum ciuale* : clarum est, obligationes et iura con-  
subditorum mutuas, quatenus sunt naturales,

1) proprie ad ius priuatum vniuersale non per-  
tinere; sed per principium reductionis saltē  
huc referri posse ex supra dictis, et

2) si huc referantur, nihil tamen noui contine-  
re, atque eatenus I. Pr. V. non esse nisi repeti-  
tionem dictorum, esse superfluum.

Quamobrem, vt ius priuatum Vn. merean-  
tur specialem tractationem; necesse est, vt ex  
principio : *subditus consubdito tribuat suum ci-  
uale erui possint plures obligationes ciuiles deter-  
minatae*

minatae. Tales vero deduci posse, quae sint vniuersales, equidem adhuc perspicere non possum.

Omnis *obligatio* subditorum mutua *civilis* est in genere *obligatio* ad salutem consubditorum promouendam mediante imperio ciuili (§. 700.). Itaque ut ex hac obligatione generali in casu singulari nascatur *obligatio* determinata, requiritur imperium ciuale, consequenter voluntas summi imperantis declarata, requiritur lex priuata seu *lex civilis in specie* talis, hoc est lex positiva (§. 734.).

Ergo omnis *obligatio* *civilis* determinata est ex lege positiva. Quare non dantur *obligationes* determinatae ciuiles vniuersales, non datur ius priuatum vniuersale.

Obserues velim, *obligationem* subditi in consubditum ad eius salutem promouendam esse *obligationem* ad finem, qui finis generalis innumeris mediis obtineri potest. Ex ipsis variis mediis imperanti competit ius, hoc vel illud determinandi tamquam medium. Per hanc determinationem, quae fit ab imperante ciuili mediante eius lege positiva, *obligatio* subditi in consubditum oritur determinata: ante legem ciuilem *obligatio* determinata non adest.

Qui

Qui obligatur ad finem ; obligatur ad eius remedium, inter plura possibilia determinatum : falsis adnumerandum est consequentiis.

Breuius eadem thesis ita eruitur :

Si non datur lex determinata priuata vniuersalis : nec datur complexus et scientia eiusmodi legum, nec consequenter ius priuatum vniuersale. Sub *lege priuata* intelligimus legem ciuilem in specie talem (§. 734.) : sub *lege determinata* eam, quae applicata ad casus singulares obligat.

Si vero omnis lex priuata determinata est positiua : nulla datur vniuersalis. Atqui verum est prius (§. 734.) : ergo non datur ius priuatum vniuersale.



## IVRIS NATVRALIS

## LIBER IV.

IVS GENTIVM VNIVER-  
SALE.

## CAPVT I.

## IVS GENTIVM IN GENERE.

§. 889.

**C**iuitas libera, quatenus ut vna persona consideratur, hoc est, respectu exterorum vocatur **GENS** (§. 703.)

§. 890.

Gens est

1) societas: hinc respectu exterorum ut persona mystica seu moralis, consequenter ut vna persona considerari debet (§. 585.),

2) est libera: eaque propter iuribus hominis in statu naturali degentis est instructa.

§. 891.

Pone duas pluresue gentes: pones duas pluresue personas, quae singulae in statu naturali viuunt. Hinc gentes erga se inuicem vntur iuribus et tenentur obligationibus iisdem,

Y

quibus

quibus tenentur homines individuali in statu naturali.

Itaque ad gentes applicari potest ius naturale singulorum hominum, quod actu applicatum vocatur *ius gentium*.

### §. 892.

Quatenus itaque singularis homo in statu naturali et gens integra inter se conueniunt: eatus ius naturae singulorum hominum seu ius naturae in specie et ius gentium sunt vnum idemque. Quatenus autem individualium huminum et gens inter se differunt: eatus etiam a singulorum hominum iure naturali distat ius gentium.

i. Differt ius gentium a iure naturali singulorum hominum non ut a specie genus; sed ut a cospecie cospecies.

### §. 893.

Subiectum iuris gentium est gens: attamen leges iuris gentium certo modo applicari etiam possunt ad

- 1) res publicas socias,
- 2) ad societatem plurium familiarum despoticam,
- 3) ad summum imperantem,
- 4) ad legatum.

§. 894.

## §. 894.

*Respublicae sociae et sistema foederatarum ciuitatum* (§. 825.) *continent ideam gentis, quatenus sunt compositae ex pluribus familiis, efficiunt unam societatem, et degunt ceterum in statu naturali.*

## §. 895.

*Societas plurium familiarum despotica eatenus gentibus accensenda, quatenus est societas plurium familiarum libera.*

## §. 896.

*Summus imperans* est in *statu naturali* (§. 703.), et ex pacto subiectionis nactus est *iura maiestatica transeuntia* (§. 732.), hoc est curat salutem publicam ciuitatis suae ratione exterorum, ideoque instructus est iis iuribus et obligationibus erga alias gentes, quibus tota ciuitas sua gaudet, hoc est *repraesentat gentem* (§. 409.). Eatenus ad sumnum imperantem ius gentium est applicabile.

1. *Iura itaque maiestatica transeuntia sunt iura gentis in gentem.*

## §. 897.

*Infinita cogitari possunt, quae in uicem inter gentes intercedunt negotia. Haec omnia*

ut gens vel summus imperans ipse pertractent cum alia gente, fieri nequit. Hinc aliis personis haec negotia demandanda, vnde originem traxere *legati*, qui sunt subditi a gente, cui parent, ad aliam gentem missi, ut nomine illius negotium cum hac tractent.

## §. 898.

Gens mittens transtulit in legatum ius, quod sibi competit, negotium cum alia gente tractandi. Itaque legatus ob negotium sibi commissum iisdem iuribus fruitur iisdemque obligacionibus tenetur, quibus muniretur et adstringeretur gens mittens, si ipsa negotium exsecutra fuisset. Itaque legatus intuitu negotii sibi commissi etiam repraesentat gentem.

Hinc oritur status legati, quatenus gentem repraesentat, qui vocatur CHARACTER RE<sup>E</sup>PRAESENTATITIVS.

I. Legatus repraesentat gentem, quatenus est officialis reipublicae (§. 748.), ideoque agit simpliciter nomine alieno. Summus imperans, qui est in statu naturali, et suo proprio nomine administrat rempublicam, repraesentat gentem ita, ut simul nomine et suo et ciuitatis suae agat, quidquid respectu aliarum agit gentium.

## §. 899.

## §. 899.

Legato respectu negotii commissi inhaerent iura et obligationes gentis suae non tantum intuitu gentis, ad quam mittitur; sed etiam intuitu omniū reliquarum gentium (§. praec.).

Itaque character iste repreſentatitius per vniuersum ſeſe extendit terrarum orbem, et illius intuitu legatus iure gentium gaudet et tenetur.

## §. 900.

Principium iuris gentium adaequatum eſt illa ipſa omnis iuris humani norma ad gentis conceptum adplicata: *gens suum cuique genti tribuat.*

Ex qua lege perfecta descendit

- 1) *obligatio* cuiuslibet gentis ad non laeden-dum alteram gentem,
- 2) *ius* cuiuslibet gentis, ut ab altera non laedatur.

## §. 901.

*Ius gentium* quatenus ex ipſo gentis conceptu ad ius mere naturale adplicato deriuatur, eſt ius vniuersale, ideoque pariter, atque ius singularum hominum naturale, immutabile atque aeternum.

## §. 902.

Quodsi tamen collidit officium gentis in gentem perfectum cum conseruatione gentis totali: gens ex ratione status extraordinarii recte vtitur fauore necessitatis, atque negligit officium perfectum. vt saluti suae consulatur (§. 224.).

## §. 903.

Gentium erga se inuicem iura et obligatio-  
nes omnes inuoluunt ideam sui. Suum con-  
siderari potest vel ante laesionem vel in laesione.  
(§. 262). Si gentium suum seu iura et obliga-  
tiones mutuas consideraueris ante laesionem;  
habes statum gentium, quo in pace viuunt: si  
in laesiones; habes statum gentium, quo bellum  
mutuo gerunt. Hinc ius gentium commode  
in *ius pacis et ius belli* dispecscitur.

## §. 904.

Suum ipsum remoto laesisionis conceptu du-  
plex cogitari potest. Aliud, quod gens citra  
factum suum, seu simul atque existit; tenet; a-  
liud, quod mediante facto suo habet. Illud re-  
spondet suo connato, hoc suo adquisito. Vn-  
de ius gentium pacis duplex est, *absolutum et*  
*hypotheticum* (§. 265.).



IVRIS GENTIVM VNIVERSALIS  
C A P V T I I.

I V S G E N T I V M A B S O -  
L V T V M .

§. 905.

**V**ti homini individuo in statu naturali constituto ius in vitam et actiones suas est iustas: ita genti ius est

- 1) in conseruationem singulorum ciuium suorum,
- 2) in conseruationem integrae ciuitatis,
- 3) in actiones singulorum ciuium,
- 4) in actiones totius suaे ciuitatis.

§. 906.

Singuli itaque subditi, ciues, societas simplices, familiae, collegia, vniuersitates, personae, quibus imperium summum delatum, sunt suum gentis. In harum personarum omnium individuarum et mysticarum conseruationem genti ius est, easque qui quali demum cum queratione laedit, violat gentis suum.

§. 907.

In perduracionem pacii vnionis atque subiectioonis consequenter nexus, quo ciuitatis mem-

bra inuicem cohaerent, ius est genti. Quicumque igitur hunc nexum destruere, immutare, formam regiminis euertere, iura maiestatica principis imminuere, iura ordinum vel singuli ciuii infringere conatur: gentem laedit.

I. Ius itaque gentis dethronisandi summum alterius gentis imperantem est spurium.

### §. 908.

Actiones gentis complectuntur omnes actiones singulorum ciuium, tum qua hominum, tum qua ciuium, nec minus actiones integræ gentis seu eius *negotia publica*. In omnes has actiones, quatenus iis altera gens non laeditur, ius est genti (§. 268.).

I. Negotia gentis, quae concernunt n<sup>e</sup>xum ciuilem, sunt *negotia domestica*. His se<sup>e</sup> se immiscendi nulli genti ius competit.

### §. 909.

In statu gentium absoluto gens quaelibet

1) habet eadem iura et obligationes cum omnibus aliis gentibus, seu omnia gentis in gentem iura, omnes gentis in gentem obligations sunt plane eadem (§. 273.),

2) gaudet aequalitate naturali (§. 276.),

3) libertate plena naturali et independentia actionum suarum ab alia gente. (§ 277.),

4) ha-

- 4) habet ius in omnes actus iustos circa suum suscepitos (§. 280.),  
 5) habet ius adquirendi (§. 283.), alienandi (§. 284.), occupandi (§. 303.), pacificandi (§. 388.),  
 6) gaudet eadem cum ceteris gentibus existimatione, hoc est existimatione bona simplici (§. 374.);  
 7) non tenetur nisi obligationibus negatiuis, nec ei competit nisi iura negatiua in aliam gentem (§. 286.).

### §. 910.

Ob aequalitatem et libertatem naturalem gentium nulla sibi in alteram imperium arrogare, aut se arbitrum vel mediatorem litis aliarum gentium obtrudere potest (§. 565. et 564.). Exulat inter gentes lex imperantis, iurisdictio, forum, iudex, sententia, poena (§. 276.). Gentem habere pro serua (§. 686.), bellum gerere punitium (§. 611.) nefas.

### §. 911.

Ob existimationem bonam simplicem gens vti et honorem simpliciter, et maiorem prae aliqua gente honorem iniuste adfectat (§. 376.).

consequenter etiam titulos, qui significant honorem (§. 377.) et praecedentiam (§. 378.): ita quoque iniuste contemnitur (§. 379.).

Nec pro infami habenda (§. 371.) nisi quae in *statu licentiae*, hoc est legibus perfectis soluto versatur (§. 278.).

1. Praecedentia multis sese modis exserit in stando, sedendo, procedendo, verbis et ore prolatis et scripto consignatis aliisque symbolis.

2. Vbicunque alicui incumbit obligatio expectandi, donec alter determinauerit locum, quem eligere sibi placuerit: ibi alter habet ius praecedentiae.

3. Magnifice olim ad stabiliendam praecedentiam iactata: potestas maior, virtus insignior, artium et scientiarum cultura potior, religio purior, forma imperii excellentior, res publica antiquior, regnum pluralitas, honor ab aliis gentibus exhibitus eminentior et quae sunt reliqua, quae nostris temporibus iacent fere prolirata.

### §. 912.

Haec ad legatum applicanda. Legatus respectu quidem gentis mittentis est subditus ast respectu omnium aliarum gentium quoad negotium sibi demandatum est in *statu naturali* (§. 899.), ideoque eatenus non subest imperio aliarum gentium.

Hoc

Hoc ius legati quoad negotium sibi commissum est ius in finem, ideoque exinde etiam colligitur ius legati in omne id, quod necessarium est ad hunc finem obtainendum (§. 86.).

Quatenus itaque legato necessariae sunt personae, quarum ministerio seu operis vtitur in obeunda legatione id est COMITATVS LEGATI; eatenus etiam comitatus non subest imperio aliarum gentium, sed harum respectu vtitur iisdem cum ipso legato iuribus.

Itaque comitatus legati aliarum gentium intuitu est in statu naturali; licet respectu gentis mittentis sit subditus, et per mandatum gentis etiam legati ipsius imperio subiectus esse possit.

### §. 913.

Legato et comitatui eius iura status naturalis ab omni alia gente sunt tribuenda, quam primum eiusmodi genti *innotescit*, hanc personam esse legatum, has personas esse ex comitatu legati.

### §. 914.

Quaecunque gens legatum, quem talem esse nouit, laedit: ea gentem mittentem laedere intelligitur. Hanc immunitatem legati a lae-

fione,

fione, quatenus ex eiusmodi laefione gens mit-  
tens ipsa laesa iudicatur, dicunt **IN VIOLA-**  
**BILITATEM LEGATI.**

§. 915.

Ob hunc statum naturalem legati

1) nulli alii genti ius est in vitam et actiones  
iustas legati,

2) nec genti competit ius praecedentiae in-  
tuitu legati,

3) nec iura gentis in legatum sunt maiestati-  
ca: sed simpliciter mere naturalia. Vnde nec  
iurisdictioni aliis gentis subest legatus: quae  
immunitas legati a iurisdictione alterius gentis  
dicitur **SANCTITAS** seu **SANGTIMONIA**  
**LEGATI.**

Gens, quae iurisdictionem in legatum e-  
iusue comitatum sibi arrogat, laedit gentem  
mittentem (§. 914.). Eatenus sanctimonia le-  
gati continetur sub eius inuiolabilitate.



## IVRIS GENTIVM VNIVERSALIS

## CAPVT III.

IVS GENTIVM HYPOTHE-  
TICVM.

## §. 916.

**G**entem absque rebus propriis cogitare velle, chimaericum est. Quaecumque res mobiles vel immobiles ante constitutam ciuitatem singulis priuatis et familiis proprie factae, ex oriente ciuitate respectu exterorum sunt in dominio gentis.

Ex praediis potissimum priuatorum sedes fixa ciuitatis enata, enatum gentis territorium (§. 727.), Itaque territorium est in gentis dominio.

## §. 917.

Gens, qua domina territorii sui, habet ius

- 1) quamcumque utilitatem ex territorio suo capiendi,
- 2) libere de eodem disponendi,
- 3) exteris quoslibet ab eo arcendi.

Ex hoc iure territoriali colligitur

1) nul-

- 1) nullam gentem intrare vel transire alienum territorium, aut
- 2) ullam ex alieno territorio utilitatem capere posse: nisi consentiente ea gente, quae territorii domina est.

I. Vnde corruit totum *innociae utilitatis* principium.

### §. 918.

Quidquid intra *limites* seu particulas extremas territorii reperitur, et ante constitutam ciuitatem fuit nullius: id omne per pactum subiectionis iudicatur a gente occupatum, et transit in gentis dominium.

Huius rei ratio inde petenda. Gentis maxime interest; ne quid reperiatur intra limites territorii et in ipsis visceribus reipublicae, quod summo imperio non sit subiectum. Itaque pactum subiectionis continet factum, ex quo securè concluditur, velle gentem, ut id omne, quod intra limites territorii existit, et adhuc fuit nullius, fiat summo imperio obnoxium, ideoque intuitu exterorum fiat sibi proprium. Ergo illud omne a gente tacite est occupatum.

### §. 919.

## §. 919.

Itaque

- 1) res, quae intra limites territorii continentur, et intuitu ciuium sunt nullius, intuitu exterorum sunt res propriae gentis. Ergo
- 2) horum respectu intra territorium non datur res occupabilis, non vacua: omnia dominio gentis eminenti subiecta, hinc etiam
- 3) quidquid in territorio est, sub territorio esse praesumitur, seu omne territorium praesumitur clausum,

## §. 920.

Ex dominio sequitur *ius accessionis* (§. 338.). Hoc iure gens, domina territorii tamquam rei principalis, est ex ipsa naturae lege etiam domina omnium rerum territorii accessoriarum,

- 1) et fructuum et rerum fortuitarum,
- 2) fructuum et industrialium et naturalium mixtorumque,
- 3) adquirit ex eadem lege res alienas territorii sui accessorias iure *accessionis interimisticae*, quatenus signa non existant, accessoria eiusmodi esse res alienas (§. 342.),
- 4) contra res eiusmodi, quae accedunt territorio gentis, ex. gr. iactas, naufragas, restituere

tuere tenetur domino vero, simul atque dominus iste genti factus fuerit cognitus (§. 343.).

## §. 921.

Quum igitur cum dominio in territorium cohaereat ius gentis in

1) omnes res, quae intra limites territorii reperiuntur, et ante constitutam ciuitatem sue res nullius (§. 918.), et

2) in omnes res accessorias sub restrictione dicta (§. praeced.): conficitur inde idea territorii amplissima, ita ut sub territorio comprehendatur tractus et terrae et aquarum, quidquid super et super hunc tractum reperitur, quidquid vel *naturae* beneficio in eo existit vel nascitur, ut siluae, montes, prata, deserti etiam terrarum tractus, riui, flumina, lacus, paludes, maria, cum accessoriis, ut sunt bruta, ferae, aues, metalla, mineralia, terrae fructus, pisces, cet; vel quidquid accedens hominum *industria* in territorio produxit, ut sunt agri, horti, vineae, aedificia, vici, castella, vrbes cet.; vel quae *casu* intra territorium natae aut in illud delatae fuerunt.

## §. 922.

## §. 922.

Praeter adquisitiones has rerum, intra territorii fines existentium, gens et occupatione extra territorium et pacto suum legitime auger (§. 303.).

Vt gens iuste occupet, requiritur  
 1) res dominii capax seu apprehensibilis,  
 2) res nullius,  
 3) actualis apprehensio cum animo, rem eam sibi habendi propriam (§. 300. et 301.).

## §. 923.

Ex primo colligitur, rem exclusionis impatiens occupari non posse. Ergo oceanus est liber.

Ex altero patet, terram a populo inhabitatam occupari non posse: licet iste populus sit ruditus et incultus, sine legibus et regimine ciui- li, omnis de diuinitate cognitionis moralitatisque expers, qui per ignorantiam atque barbariem suam fertilissimo solo bonisque aliis quam pluribus vti nesciat, ideoque bona sua usibus generis humani subtrahat.

Ex ultimo elucet, solo animo et voluntatis nuda declaratione rem non occupari. Ergo si gens declarat, se quemdam terrae incul-

tae tractum insulamue occupare velle, alia vero gens postea prior sit apprehensione: hanc occupauisse, non illam, in aprico est.

Ceterum quantum quaeque gens manifestis signis occupauit: tantum adquisiuit.

### §. 924.

Gentibus porro competit ius paciscendi (§. 388.). Pacta gentium, qua talium, dicuntur etiam PACTA PVBLICA seu CONVENTIONES PVBLICAE.

i. Vnde liquet, differtre conuentiones gentium

- a) a pacto principis cum subditis suis,
- b) a pacto principis cum exteris priuatis, qua talibus.

### §. 925.

Conuentiones publicae quo sint validae, atque ideo iura et obligationes inter duas gentes producant; necesse est, vt requisita pacti validi contineant (§. 411.). Ergo

i) conuentio eiusmodi est nulla, si deest versus gentis consensus. Huc pertinet

Pactum nomine gentis cum alia gente initum ab eiusmodi principe, qui, ad consensum procerum per leges fundamentales adstrictus, eodem munitus non est,

2) con-

Pactum subditi vel cuiuslibet exteri, nomine gentis initum cum gente citra eius mandatum, id est sponsio. Contra

2) conuentio publica est iniusta; si dolo male superstructa, vel vi iniusta fuit extorta.

Haec in thesi verissima; in casu vero singulari infinitis plerumque tricis adeo inuoluta, ut in dubio ratio militet pro validitate.

### §. 926.

Ex conuentione publica valida quaeritur genti ius, contrahitur genti obligatio.

Gens est societas perpetua, et manet eadem persona moralis; licet summus imperans moratur, vel alia quacumque ratione mutetur siue imperantis persona siue regiminis forma. Hinc omnis conuentio publica, nisi contrarium expresse stipulatum, vel ex ipso facto clarissime eluceat, est in omne aeuum duratura, et dat iura, tribuit obligationes in omnem posteritatem transmissibiles.

### §. 927.

Conuentionum publicarum species est foedus, id est pactum gentium sociale: licet hoc

vocabulum saepe latius et pro omni publica conventione sumatur.

*Foedus* esse potest

- 1) *beneficium* vel *onerosum* (§. 430.),
- 2) *inaequale* vel *aequale*, prouti per illud gens gentem in speciali negotio agnoscit superiorem, vel minus;
- 3) *perpetuum* vel *temporarium*,
- 4) *bellicum*, *commerciorum* ceter. prouti bellum vel commerciorum communitatem, vel quaevis alia negotia socialia concernit.

### §. 928.

Legatus iuribus gentis fulget. (§. 899.). Ergo res legati, quae ad obeundam legationem ipsi sunt necessariae, iure territoriali aliarum gentium haud subsunt (§. 912.).

Suppellex itaque et *vasa* eius, et quascumque res secum aduehit, non sunt res subditi, nec obnoxiae legibus priuatis alterius gentis.

### §. 929.

Nec minus *aedes* a legato habitatae gentis suae mittentis repräsentant territorium, ideoque sanctae et inuiolabiles.

### §. 930.

## §. 930.

E contrario legatus *intrare* alterius gentis *territorium*, aut *transire* per illud absque huius consensu pariter atque gens ipsa mittens prohibetur (§. 917.). Ideoque ius aditus et transitus legato competens non ex iure absoluto; sed ex pacto est repetendum.

1. Hinc litterae commeatus liberi, quibus legatus muniri solet, et quae consentum gentis in aditum vel transitum legati demonstrant, ortae.

## §. 931.

Similiter ut admittatur legatus ab alia gente, id est ut ei facultas tribuatur exponendi ipsi negotium sibi demandatum: non est iuris absoluti; sed pactitii. Ergo legatus iuste recusari potest.

## §. 932.

Quamobrem et genti cuilibet integrum est, conditiones imponere legato, sub quibus ei transitum vel admissionem concedere velit.

## §. 933.

Legati mittuntur, ut negotium gentis suae cum alia gente pertractent. Hoc ius legatorum supponit *mandatum* gentis suae (§. 748.).

vi cuius legatus cum gente sua mittente vnam personam repreſentat, adeo ut quidquid cum alia gente respectu negotii suae fidei commiſſi tractet, id gens ipſa mittens tractare intelligatur.

Hinc pactum legati cum gente alia eſt conuentio publica, ex qua gens sua et obligatur et iura adquirit.



## IVRIS GENTIVM UNIVERSALIS

CAPVT IV.

## IVS BELLI GENTIVM

SEV

DE MODO IVS SVVM PER-  
SEQVENDI INTER  
GENTES.

## §. 934.

**S**i gens laeditur; a gente laesa nanciscitur contra laedentem ius belli actuale (§. 505.). Ius belli gentis est simul ius summi imperantis maiestaticum respectu ciuium suorum subditorum. Inde **BELLVM**, quod a gente geritur, vocatur **PUBLICVM** seu **SOLLEMNE**: cui oppositum est **PRIVATVM**, quod ab eo, qui non est gens aut summus imperans, geritur.

## §. 935.

Gens aeque iuste bellum infert contra lassionem imminentem ac contra illatam et praesentem (§. 513.).

Ad imminentem non referenda praepotentia gentis per se; sed omnino ea *praepotentia*,

quae in vicinarum gentium perniciem probabilitate et iniuste contendit, et dicitur *tremenda*. Haec probabilitas ex factis colligitur, e. g. si gens vicina innocenter opprimitur.

### §. 936.

Quum posita laesione statim existat ius belli actualis (§. 505.): consequens est, ut declaratio gentis expressa de bello alteri genti inferendo, id est **INDICTIO BELLI**, siue per legatos siue scripto facienda, non sit necessaria, ita ut bellum absque declaratione eiusmodi praeuiu illatum ea propter praedicari possit iniustum.

### §. 937.

Hosti iusto in hostem omnia licent, quae cumque ad obtainendam plenariam securitatem facere possunt (§. 506 et 524.). Itaque omnis coactio occulta et manifesta, omnis violentia iusta.

I. Igitur et pactorum ante bellum initorum validitas exorto bello iusto tollitur.

### §. 938.

Inde concipitur ius in hostium tum *personas* tum *res*.

Quod ad *personam* hostis attinet,

<sup>1)</sup> omnis

1) omnis is iudicandus est hostis, quicumque in numero est ciuium et subditorum gentis hostilis, ideoque etiam exteri priuati intra fines hostium degentes,

2) hostis siue intra gentis suae territorium siue quocumque alio loco reperiatur, recte ut hostis tractatur, modo lex alieni et amici territorii non obstet (§. 917.),

3) hostes mediis nocendi violentis atque occultis aequi iuste inuaduntur,

4) et denique iuste et offenduntur et interficiuntur et capiuntur,

5) captiui, qui citra pactum in manus hostis iusti perueniunt, ea propter non cessant esse hostes; sola enim captiuitas et victoria decidens non finit bellum (§. 575.), nec consequenter iniustum facit hostilitatem continuatam.

### §. 939.

Pariter et in *res hostium* omne ius patet hosti iusto, deuastare hostium territorium, eripere vel corrumpere res mobiles et immobiles, religiosas, sacras et seculares, vbi cumque locorum reperiantur: modo extra limites gentis amicae sint constitutae.

## §. 940.

In res hostium captas adquiritur hosti iusto dominium (§. 508.). In hostem captiuum hosti iusto continuatur ius in vitam, quod ius mediante pacto pacis transmutari potest in imperium: ante vero, quam pactum sanciatur, hoc ius victoris imperium adpellari nequit (§. 685.).

## §. 941.

Haec omnia in bello iusto iusta sunt eaten-  
nus, quatenus ad recuperandam securitatis ple-  
nariae statum conducunt. Hos limites qui trans-  
greditur, euadit hostis iniustus (§. 525.). Sed  
quis in hac rerum omnium perturbatione vni-  
ueriali fines iusti et iniusti certos figere audebit?

## §. 942.

De auxiliatore hostis et neutralitate praeci-  
pua iam supra indicauimus, sed de fide inter  
hostes quaedam addenda.

Hostis homo esse non definit. Itaque iu-  
rium humanorum capax manet (§. 473.), con-  
sequenter et pacta, quae intuitu belli sunt in-  
ita, hosti sunt seruanda.

## §. 943.

Id genus pacta alia *ante bellum*, alia *duran-*  
*te bello* sanciuntur.

§. 944.

## §. 944.

*Pacti ante bellum ortum initi obligatio non aliter exorto bello perdurat, quam vbi in casum belli id pactum valere quoque debere confenserint paciscentes (§. 942.). Cetera pacta omnia, vt diximus (§. 937.) cum bello exspirant.*

## §. 945.

*Pacta durante bello inter hostes inita vel tollunt bellum vel imminuant.*

Tollitur bellum eo pacto, quo pax sancitur. Imminuitur bellum PACTIS, quae in specie BELLICA appellantur, atque sunt pacta durante bello ita inita, vt quidem vis belli imminuatur; bellum tamen perduret.

## §. 946.

*Pacta bellica sunt vel uniuersalia vel particularia.*

PACTA BELLICA UNIVERSALIA sunt, quibus tota vis bellica ad tempus cessat. Eiusmodi conuentio vocatur INDVClAE.

Reliqua PACTA BELLICA omnia sunt PARTICULARIA, atque iis vis bellica vel quoad certa loca aut prouincias, vel quoad certas personas, vel quoad certum negotium aut tollitur aut suspenditur. Vnde nascuntur pactum

Pactum de *neutralitate* loci aut prouinciae  
hostilis,

Pactum *deditio*nis,

Pactum de redimendis et permutandis ca-  
ptiuis, seu pactum de *lytro*,

*Litterae liberi commeatus*,

*Armistitia* ad sepeliendos mortuos, ad per-  
tractandam deditio

### §. 947.

Haec pacta omnia sunt obligatoria, quate-  
nus auctoritate publica faniuntur.

Ergo quae auctoritate hac carent, vt sunt  
*sponsiones* (§. 925.), nihil operatur.

Immo sponsor subditus poenam interdum  
meretur, nisi necessitatis fauore sese tueri possit.



## APPENDIX.

PRIMAE LINEAE  
IVRIS GENTIVM  
EVROPAEARVM  
PRACTICI.

## CAPVT I.

IVS GENTIVM EVRO-  
PAEARVM PRACTICVM  
IN GENERE.

## §. 1.

Inter gentes Europae hodiernas vigent plures agendi erga se inuicem regulae, quae ex iure gentium vniuersali deduci nequeunt, et tamen ab omnibus vel saltem a plurimis obseruantur.

## §. 2.

Hae normae agendi appellantur *leges* in sensu generali (§. 994.), et quatenus ex principiis vniuersalibus non cognoscuntur, sunt *positiuae*.

Harum

Harum legum complexus efficit id, quod vocatur IUS GENTIVM EVROPAEARVM POSITIVVM seu PRACTICVM, et Grotio dicitur VOLVNTARIVM seu SECUNDARIVM.

### §. 3.

Hae leges vel pactis expressis vel consuetudinibus niti possunt.

### §. 4.

Pacta efficiunt ius atque obligationem perfectam inter gentes pacifcentes, atque eatenus dant legem in sensu speciali. Sed aliarum gentium ratione nec ius pariunt nec obligationem.

Eiusmodi pacta expressa, quae in historia et notitia rerum publicarum tractantur, huc proprie non pertinent.

### §. 5.

Remanent itaque leges, quae ex consuetudinibus Gentium sunt enatae, quarum complexus dicitur *in specie* IUS GENTIVM PRACTICVM.

### §. 6.

Non in censum huc veniunt normae agendi, quae aliquarum Gentium singularibus actibus

bus obseruatae fuerunt; sed quae ob plurimarum Gentium Europae hodiernarum actus repetitos tamquam vniuersales omnium Europae Gentium hodiernarum consuetudines considerari possunt.

### §. 7.

Inuexit eas sensim mutua Gentium vicinatum salus seu doctrina politices et aequitas naturalis: auxit religio Christiana, commerciorum et foederum nexus arctior, decorum ciuile, ambitio ad splendorem ac pompam adspirans, ratio noua bellendi, praepotentia quodammodo aliaque.

### §. 8.

Ex consuetudinibus hisce qua talibus consensus tacitus rarissime elici potest, atque eatus obligatione pactitia seu perfecta destituuntur.

### §. 9.

Ast

1) vigent inter omnes fere Europae gentes pacta amicitiae, quae nisi pudenda vel inania reputari debeant, eo fine iniri, ut consuetudines hactenus receptae vim legis perfectae obtineant, recte iudicantur,

2) supersunt media sat dura, quibus ad eas obseruandas gentem compellere gentes reliquae possunt,

§. 10.

## §. 10.

Sicubi enim gens eas violat :

- 1) altera gens eodem iure in illam vtitur,
- 2) gens iniquum passa , ceteras amicitiae consuetudines iure negligit, et iacturam iactura compensat,
- 3) ceteris gentibus Europaeis eiusmodi in officiosae genti eodem modo omnia hactenus v sitata amoris officia et iuste et aequa denegandi facultas est.

## §. 11.

Licet itaque hae consuetudines raro admodum accenserri possint legibus in specie sic dictis ; attamen instar legum valent : et quamuis earum obligatio perfecta demonstrari vbiuis nequeat ; non tamen minus illarum obseruantia tuta adseri potest.

## §. 12.

Principium iuris gentium practici est : *consuetudines inter Europae gentes receptae instar sui aliis gentibus sunt tribuendae.*

## §. 13.

Hoc ius mutabile est, ideoque diuersis temporibus diuersum fuit, et contrariis consuetudinibus tollitur.

## §. 14.

Consuetudo dubia probatur praecipue actis publicis.

CA-

## CAPVT II.

IVS GENTIVM EVROPAEAE-  
RVM PRACTICVM RESPE-  
CTV IVRIS ABSOLVTI.

## §. 1.

Jura gentium absoluta variis inter Europaeos  
mutata modis, ita ut gaudeant reciproce iu-  
ribus adfirmatiuis, tum quoad aequalitatem tum  
quoad existimationem.

## §. 2.

*Pontifex Maximus* est summus in rebus Ec-  
clesiasticis Imperans omnium gentium Romano-  
Catholicae religioni addictarum.

## §. 3.

*Aequilibrii* inter gentes Europaeas conserua-  
tio tribuit ius omnia agendi, quae conduce-  
re ad hunc finem, et praepotentiam impedire  
possunt.

## §. 4.

Existimatio bona inter gentes Europae est  
diuersissima. Hinc varii *honores*, in quos gen-  
ti erga gentem ius est, id est varia dignitas,

quae in iure tam praecedentiae, quam ceremoniarum sese exserit.

### §. 5.

Dantur in Europa et Monarchiae et Republicae in sensu speciali.

### §. 6.

Vtraeque distribuuntur in maiores et minores.

### §. 7.

*Monarchiae* maiores sunt 14. quae titulum imperii vel regni gerunt: quae minus, dicuntur minores.

### §. 8.

*Minorum* vnica est libera, *ordo equitum Moresitensum*, et plures non-liberae, quo refer statutus Imperii Germanici et Italiae ac Curoniæ.

### §. 9.

Rerum publicarum maiorum dantur 4, minorum 3.

### §. 10.

Pontifex inter Catholicos indubie gaudet dignitate maiori.

### §. 11.

Monarchiae maiores tuentur dignitatem maiorem intuitu

i) Mo-

- 1) Monarcharum minorum,
- 2) Rerumpublicarum.

§. 12.

*Honores regii* sunt inter principes seculares maximi: hinc reges inter se ipsos nullam agnoscunt praerogatiuam.

Interim

1) Imperatori Romano-Germanico competit praecipuum, quem ceteri Monarchae maiores agnoscunt primum inter pares; non vero dignorem.

2) Russiae Autocrator et Turcarum Despota eundem gerunt titulum; sed eorum nec a Caesare Germanico secum aequalitas, nec a regibus praecipuum agnoscitur.

§. 13.

Electoribus Germaniae competit Regii honores: hinc regibus sese aequiparant, nulli alii cedunt.

§. 14.

Respublicae maiores Venetorum, Batauorum, Heluetiorum gaudent honoribus regiis, ita ut Heluetii cedant Batauis, Veneti et Bataui sibi contradicant.

## §. 15.

Reliquae minores Monarchiae et Respubli-  
cae innumeris modis inter se contendunt.

## §. 16.

Vana fuit Iulii II. Pontificis decisio in condem-  
ndo ordine praecedentiae totius orbis Christiani:  
vani etiam concilii Tridentini conatus.

## §. 17.

Aequales dignitate vel de maiori inter se  
honore contendentes variis modis in collisione  
se tuentur.

Ceterum litigantes Mediatori aequali in tra-  
ctatum negotiis, et Dominus territorii extraneo  
Principi sponte cedunt.

## §. 18.

Ex diuersa gentium dignitate et splendoris  
arrogantia variae species et varia iura Legatorum.

## §. 19.

*Legatus* vel omni gentis mittentis dignitate,  
quatenus id fert consuetudo, instructus est; vel  
minus: ille dicitur habere CHARACTEREM  
REPRESENTATIVVM IN SPECIE; hic  
eo carere: ille esse primi ordinis; hic secundi;  
ille vocatur AMBASSIATOR (*Ambassadeur*);  
hic ABLEGATVS (*Envoyé*).

## §. 20.

## §. 20.

Vterque est vel EXTRAORDINARIVS;  
vel ORDINARIVS: prout vel ad negotium  
singulare; vel ad negotia generatim tractanda  
mittitur.

## §. 21.

Pontificis Ambassiator ordinarius dicitur  
**NVNCTIVS APOSTOLICVS**; extraordinarius  
**LEGATVS A LATERE**; ablegatus **INTER-**  
**NVNCTIVS**.

## §. 22.

Dantur et *Residentes*, qui minores iudican-  
tur Ablegatis, *Consules*, qui commerciorum gen-  
tis suae causâ apud exteram gentem degunt, et  
vario charactere muniti sunt. Quandoque et  
*Secretarius legationis* legati obit functionem. *A-  
gentes* vero non sunt legati: quia non ad gen-  
tem mittuntur.

## §. 23.

Character legati ex **LITTERIS CREDEN-**  
**TIALIBVS** cognoscitur, quae sunt litterae gen-  
tis mittentis ad aliam, quibus ei significat, se ad  
illam mittere hunc legatum sub hoc charactere.

## §. 24.

Non nisi illi, qui regiis honoribus gaudet,  
conceditur ius, Ambassiatorem mittendi.

## §. 25.

Ambassiator nemini nisi Monarchae ipsi, fa-  
miliae regnatrici et reipublicae in corpore cedit.

## §. 26.

Ablegatus cedit ambassiatori.

## §. 27.

Ambassiator extraordinarius ambassiatoribus aliarum gentium ordinariis non est maior: gens tamen, ad quam mittitur, ei dat ceremoniarum praecipuum, quum eiusmodi legatione gens mittens alteri exhibeat honorem praeeminentem.

## §. 28.

Gentis mittentis dignitas in legato vtriusque ordinis coruscat. Hinc

1) ex gentium inter se dignitate earumdem quoque dignitas legatorum metienda,

2) quae gentes; earum et ambassiatores et ablegati dignitate inter se contendunt.

## §. 29.

Impensarum onus et ceremoniarum tricæ effecerunt,

1) vt rario in dies fiat ambassiatorum missio,

2) vt saepe ad vnicum dumtaxat actum et quasi ad momentum character hic induatur: et

3) vt ad facilitandos tractatus, nouus legati titulus fuerit inuentus, quando scilicet *Ministri plenipotentiarii* nomine insignitur.

## §. 30.

Ambassiator, Ablegatus, Residens, Consul cum integro comitatu differunt ratione dignitatis; sed omnes eadem gaudent in uiolabilitate et sanctimonia.



## CAPUT III.

IVS GENTIVM EVROPAEA-  
RVM PRACTICVM RE-  
SPECTV IVRIS HY-  
POTHETICI.

## §. 1.

In Europa triplex *fretum* maris Baltici est in dominio Daniae, et *fretum sancti Georgii* in dominio Magnae Britanniae: de plurium *fretorum* dominio litigatur. Mare Germanicum, Mediterraneum et Oceanus Atlanticus sunt liberi.

## §. 2.

Ceterum omne *littus* iudicatur esse intra limites territorii: hinc mare littori vicinum, quantum machinarum bellicarum in littore collatorum iactui est expositum, paret domino territorii adiacentis.

## §. 3.

Ex dominio marium deducitur ius,

1) exigendi a nauibus aliarum gentium demissionem velorum et expositionem ac expansionem aplustrum,

2) excludendi alias a piscatura, commerciis cet; ideoque ius praescribendi conditiones,

sub quibus piscatura, commercia aliis indulgenda,

- 3) in fretis Balticis exigitur vectigal,
- 4) in quibusdam adhuc viget ius littoris in specie sic dictum.

#### §. 4.

Nulla gens subditis alius gentis denegat *aditum* vel *transitum* per eius territorium. Interim est res meri arbitrii, vnde variae leges aduenis praescribuntur quoad tempus, loca, personarum statum, numerum, religionem, quoad mercium importationem et exportationem cet.

#### §. 5.

*Conuentiones publicae et foedera iudicantur conclusa, simul atque a legato plenipotentiario subscripta, et a summo imperante ratihabita sunt.*

#### §. 6.

Eiusmodi pactis siepe adiiciuntur *articuli separati*, qui specialem subscriptionem et ratificationem requirunt.

#### §. 7.

Aliae gentes non-pacifcentes interdum pactis accedunt, quo casu *instrumento accessionis et acceptationis* opus est.

#### §. 8.

## §. 8.

Omnis conuentio in dubio iudicatur iusta, et rarissime ob dolum vel vim iniustam impugnari potest.

## §. 9.

*Iuramenta* ad confirmandam conuentionum sanctitatem haud fere amplius adhibentur: contra frequentissimus *garantiarum* usus, quibus gens tertia ad custodiam pacti vel possessionem territorii tuendam promittit auxilium.

## §. 10.

*Quasi-contractus* inter gentes Europae non valent, *praescriptio* in praxi negari; quam affirmari facilius potest. Aduerius actus a gente in praeiudicium gentis susceptos recepta universaliter *protestatio*. Hinc tacita *praetensionis renunciatio*, si gens possessori tribuit titulum litigiosum absque protestatione interposita.

## §. 11.

*Successio* ab *intestato* et *ex testamento* inducii inter gentes Europae sunt valoris.

## §. 12.

*Legato* transitus, ingressus et admisso haud denegatur inter gentes amicas: hinc ubi denegatur, excusatio moris est. Ceterum viget ius


gentium vniuersale, et prostant multa legato-  
rum, transitu et ingressu prohibitorum, exempla-

## §. 13.

Iura legati admissi non ubiuis eadem, et  
sensim legatorum iura consuetudinaria magis  
magisque imminui, iurisque vniuersalis simpli-  
citatí accommodari, recentissima docet historia,

## §. 14.

Ius asyli sublatum, exemptione a vecigalibus  
fere cessat, ceremoniae passim legatis a genti-  
bus; ad quas mittuntur, nouae praescribuntur  
pro arbitrio, admissionis ius durat, quo usque  
genti apud quam degunt, placet.



## CAPVT IV.

IVS GENTIVM EVROPAEA-  
RVM PRACTICVM RE-  
SPECTV BELLI.

## §. 1.

**S**ollemnis belli indicio hodie extra usum: manifesta vero bellica circa belli initia respectu et subditorum et gentium aliarum necessaria iudicantur.

## §. 2.

Plura in bello hodierno non licent, quorum principia potissimum reperiuntur

- 1) in damni illati inutilitate, et
- 2) in metu damni irreparabilis reciproci.

## §. 3.

*Media nocendi illicita* sunt vel *occulta*, quo refer usum veneni et prodiciones; vel *manifesta*, quo pertinent arma nimis nociva, quatenus ea usus non legitimat.

## §. 4.

Priuatus, qui medio eiusmodi *occulto* utitur, poena luit criminali. Si media nocendi illicita *manifesta* adhibentur auctoritate publica, pari refertur: sin ausu priuato; qui adhibet, iure hostis indignus existimatur:

## §. 5.

*Belli et hostis* praedicatum non tribuitur nisi genti: ergo et iis, qui et quatenus ad ciuitatem gentis belligerantis pertinent, eiusque auctoritate bellum gerunt.

## §. 6.

## §. 6.

Proinde

1) subditus contra ciuitatem suam arma capiens,

2) persona priuata, auctoritate principis non munita:

si aggreditur gentem eiusue subditos: est delinquens, et criminis latrocinii aut turbatae publicae tranquillitatis reus.

## §. 7.

Inter gentes hostes quicquid resistit, id violentiae subest.

## §. 8.

Subditi gentis hostilis vel ad hostiliter agendum sunt accincti, vel minus.

## §. 9.

Qui non sunt accincti, eos interficere nefas.

## §. 10.

Qui sunt accincti: vel auctoritate publica hostiliter agunt; vel absque eadem.

## §. 11.

Qui absque publica auctoritate sunt aggressores; fiunt delinquentes: qui defensores sui iis denegatur deditio.

## §. 12.

Qui publica auctoritate ad hostiliter agendum est accinctus, in genere dicitur *miles*. Postquam vero militia introducta perpetua, et *status militaris* a statu reliquorum subditorum fuit separatus: *miles in specie* est, qui ita accinctus et in statu militari est.

## §. 13.

## §. 13.

Personis, qui non sunt in statu militari, qualis status vocatur sensu speciali *status ciuitatis*, licet auctoritate principis arma gerentibus, si cubi resistunt abhoste milite negatur deditio.

## §. 14.

Miles iudicatur, quicumque est militum socius: siue ipse accinctus sit ad agendum hostiliter, siue militum usibus inferuiens eos sequatur.

## §. 15.

Itaque qui sunt in statu militari vel sunt milites in specie, vel non sunt.

## §. 16.

Personae status militaris qui non sunt milites, nisi hostiliter agunt, non legitime interficiuntur: si vero hostiliter agunt, iis denegatur deditio.

## §. 17.

Milites quum accincti esse obligentur, pro accinctis seu resistantibus semper habentur.

## §. 18.

Milites hostes legitime et stratagemate circumueniuntur, et manifesta vi offenduntur, fugantur, vulnerantur, occiduntur, capiuntur.

## §. 19.

Personae status ciuilis in potestatem redacti sunt subditi: personae status militaris tantum captiui.

## §. 20.

C A P T I V V S quis est vel pacto expresso, quod dicitur *deditio*, vel minus.

## §. 21.

## §. 21.

Pacto deditio[n]is et eius conditionibus simpliciter standum.

## §. 22.

Captiuus quis fit sine expresso pacto, si aut absoluta coactione comprehenditur, aut extra statum ponitur resistendi, aut facto se deditum promittit, ex. gr. arma abiiciendo, et ultra hosti obuiam eundo.

## §. 23.

Hostis resistens, vel miles, qui citra pactum expressum fit captiuus, aut exemplo est occidens, aut iure captiui tractandus.

## §. 24.

Hostis captiuus iudicatur pro conseruatione vitae promissae cessationem resistentiae.

## §. 25.

Ergo captiuum occidere vel seruum facere nefas.

## §. 26.

Captiu[m] princeps ei obligatur ad alimenta necessaria, in subsidium vero victor.

## §. 27.

Captiuus, resistere postea ausus, tractatur ut hostis.

## §. 28.

*Res hostis non corrumpendae vel devastandae, nisi propria id postulat necessitas.*

## §. 29.

Hinc res

- 1) circa quas et quoad resistitur,
- 2) quae ad militem instruendum et alendum faciunt,

faciunt, atque occupatae amplius defendi nequeunt,

ferro flammaque petendi ius est.

§. 30.

Omnes res mobiles et immobiles ab hoste  
occupatae cedunt genti victori.

§. 31.

Res immobiles ad offendendum et resistendum  
comparatae, fiunt propriae victoris summi  
imperantis.

§. 32.

Mobiles, ad alendos et instruendos milites  
destinatae, fiunt itidem praeda publica.

§. 33.

Ceterae res mobiles hosti resistenti ereptae  
fiunt praeda priuata.

§. 34.

*Res priuatorum*, nec militum nec resistentium,  
manent in proprietate devictorum; sed subiectae  
imperio victoris, qui inde varia tributorum  
et operarum genera exigit, homagium po-  
stulat, iugum excutientes ut rebelles punit, cet.

§. 35.

*Res propriae summi imperantis* pretiosae, et  
ad magnificentiam aulae pertinentes, a vi hostili  
exemptae sunt.

§. 36.

Variae ceterum consuetudines ex hodierna  
methodo expeditionum militarium tum in castris,  
tum in obfessione fortalitiorum sunt receptae.

§. 37.

Pacta durante bello inita plurima in hodiernis  
bellis sanciuntur.

Pactum

Pactum, quo hosti deditur pars territorii,  
ex. gr. fortalitium, prouincia, quod dicitur  
*capitulatio*, obligat

- 1) summum imperantem, cui adquiritur,
- 2) deuictos, qui contraxerunt: non autem
- 3) gentem et summum imperantem, qui ammisit, nisi eius mandato expresso fanebitum.

### §. 38.

Reliqua pacta bellica particularia faniendi ius habet, qui auctoritatem bellum gerendi natus est, et eatenus valent, quatenus quis hac auctoritate pollet.

### §. 39.

Hinc eiusmodi pacta regulariter obligant solum subordinatos: non vero superiorem nec eos, qui non sunt subordinati seu aequales.

### §. 40.

In specie huc referenda *Saluagardia* id est exemptio, quae alicui a vi hostili promittitur.

### §. 41.

*Saluagardia* praestatur

- 1) per personas,
- 2) per litteras
- 3) per alia symbola.

### §. 42.

*Saluagardia* continet pactum: hoc pacto tenetur hostis promittens et omnis is, qui subest promittenti: qui vero est superior vel non est subordinatus, eo non tenetur.

F I N I S





# INDEX

## IVRIS NATVRALIS.

### A.

<i>Abusus rei</i>	345	<i>commissiua vel omis- siua</i>	44
<i>Abusus virium</i>	133	<i>interna vel externa</i>	
<i>Abutendi ius</i>	345		
<i>Academias condendi ius</i>	768		45
<i>Acceptare promissum</i>	385	<i>Actio moralis</i>	57
		<i>moraliter bona vel mala</i>	58
<i>Accessio</i>	338	<i>Actio libera simplex vel composita</i>	91
<i>Accessio interimistica</i>	259		
<i>Accessorium</i>	334	<i>Actio licita vel illicita s. permissa</i>	100
<i>fortuitum</i>	334	<i>indifferens s. permis- sa s. licita in specie</i>	
<i>Achaicae resp.</i>	825		
<i>Actiones in genere</i>	1		
<i>Actio spontanea</i>	24		101
<i>Actio libera ratione de- terminationis s. interne</i>	31	<i>Actio moraliter possibi- lis vel impossibilis</i>	
<i>ratione executionis s. externe</i>	46		109
		<i>Actio iusta vel iniusta</i>	
			165
		<i>Bb</i>	
		<i>Actio</i>	

I N D E X.

<i>Actione</i> iuridice licita	167	<i>Appetitus</i> per se vel hypothetice talis	11	
<i>Actione</i> naturaliter iusta vel iniusta	243	sensiuius vel rationalis	11	
<i>Actus</i> religiosus	853	<i>Apprehendere</i> rem	298	
<i>Adfectus</i>	13	<i>Apprehensibilis</i> res	300	
gratus, ingratus	13	<i>Arbiter</i>	566	
<i>Adiaphora</i>	870	<i>Arbitrium</i>	565	
<i>Administratio</i> reip.	732	<i>Arbitrium</i> diuersum a volunt.	41	
externa vel interna	732	<i>Arbitrium</i>	30	
<i>Adquirendi</i> modus ori- ginarius vel deriuat- tiuus	388	dirigit, non mutat in- tell. et volunt.	39.	
<i>Adquirere</i>	293	<i>Arbitrator</i>	40	
<i>Adquisitio</i> ex lege	339	<i>Aristocracia</i>	786	
<i>Adseueratio</i>	465	<i>Armistitia</i>	946	
<i>Adulterium</i>	647	<i>Auctor actionis</i>	49	
<i>Aequalis</i>	275	<i>Aversatio</i>	10	
<i>Aequalitas</i>	276	per se vel hypothetice talis	11	
<i>Aedes</i> legati	929	sensiua vel rationalis	12	
<i>Actas</i> adulta minor	66	<i>Auxiliator</i> hostis in sp.		
<i>Aggressor</i>	521	<i>Alienatio</i> rei	529	
<i>Alienare</i>	284	plena vel minus plena	iustus vel iniustus 531	
<i>Alienatio</i> rei	347	348	<i>Auxilium</i>	526
<i>Alienum</i>	241	B.		
<i>Anarchia</i>	702	<i>Bellum</i>	505	
<i>Animalitas</i>	4	<i>iustum</i>		
<i>Appetitus</i>	10			

I N D E X.

iustum vel iniustum	<i>Ciuis</i>	701
507	<i>Ciuitas</i>	700
defensuum vel of- fensuum	<i>Coactio absoluta vel hy- pothetica</i>	51
vindicarium vel poenale	<i>Cogere</i>	50
publicum, priuatum	<i>Collegium</i>	725
934	<i>Collisio legum</i> 210. sq.	
f. sollempne vel minus	<i>Comitatus legati</i>	912
sollempne	<i>Comitia</i>	816
<i>Belli indicio</i>	<i>Commodatum</i>	430
<i>Blasphemia</i>	<i>Commune</i>	252
<i>Bona</i> in sensu spec.	<i>Communio</i>	252
<i>Bonitas</i> actionis moralis	<i>Communio vxorum</i>	644
58	<i>Compensatio</i>	491
<i>Bonum</i>	<i>Compositio amicabilis</i>	
abolutum vel com- paratiuum	<i>Compromissum</i>	566
commune	<i>Conditio</i>	421
581	potestatiua, casualis vel mixta	424
<i>C.</i>	<i>iusta</i> vel <i>iniusta</i>	425
<i>Capitulatio</i>	<i>turpis</i>	425
<i>Gaussa physica</i> vel mo- ralis	<i>suspensiua</i> vel reso- lutiua	427
<i>Cautio</i>	<i>Condominitum</i>	349
eius species	<i>Condonatio</i>	490
<i>Ceremoniae eccles.</i>	<i>Contuges</i>	638
<i>Cessio</i>	in specie	643
<i>Character</i> repreaesenta- tius legati	<i>Coniugium</i> vide <i>Matri-         monium</i>	638
898	<i>Connu-</i>	
	<i>B b 2</i>	

I N D E X.

<i>Connubium</i> , vide Matrimonium	638	D.
<i>Conscientiae res</i>	855	<i>Damnum</i> 242
<i>Consentire</i>	385	morale vel non-morale 255
<i>Consensus verus</i>	397	culposum vel dolosum 255
<i>expressus vel tacitus</i>	401	illatum praesens vel
<i>fictus, praesumtus</i>	401	imminens 512
<i>Consuetudo</i>	737	<i>Damnum reparare</i> 515
<i>Consuetudinaria lex</i> ib.		<i>Dare</i> 389
<i>Contemtus</i>	372	<i>Datio in solutum</i> 492
<i>Contestatio</i>	465	<i>Debitor</i> 413
<i>Contractus</i>	439	<i>Declarare mentem</i> 362
<i>do, vt des</i>	442	<i>Declaratio expressa vel</i>
<i>do, vt facias</i>	ib.	<i>tacita</i> 362
<i>facio, vt facias</i>	ib.	<i>Declarare voluntatem</i>
<i>Controuerzia iuridica</i>		<i>sufficienter de suo</i>
		381
<i>Contumelia</i>	542	<i>Declaratio honoris</i> 534
<i>Conuentio</i>	372	<i>Deditio pactum</i> 946
<i>Conuentio publica</i>	924	<i>Defectus connatus vel</i>
<i>Conuitium</i>	372	<i>aduentius</i> 70
<i>Corruptio rei</i>	345	<i>connatus in spec.</i> 73
<i>Creditor</i>	413	<i>Defensor sui</i> 521
<i>Crimen</i>	831	<i>Delegatio</i> 496
<i>publicum vel priuatum</i>	832	<i>Delegans</i> 496
<i>Culpa in genere</i>	112	<i>Delegatarius</i> ib.
<i>in specie</i>	115	<i>Delegatus</i> ib.
		<i>Delictum</i> 831
		<i>Demeritum</i> 128
		<i>Demo-</i>

I N D E X.

<i>Democratia</i>	786	<i>Dominus</i> in societate	
<i>Deprecatio</i>	534		682
<i>Depositum pecuniae</i>		<i>Domus</i>	682
	464	<i>Dynastia</i>	848
<i>Derelictio rei</i>	347		
<i>Despotia</i>	792		E
<i>Despotica</i> societas	613	<i>Ecclesia</i>	850
<i>Destruictio rei</i>	345	positiva	852
<i>Deterioratio rei</i>	345	aequalis vel inae-	
<i>Dethronisatio</i>	846	qualis	859
<i>Dignitates civiles</i>	750	approbata vel tole-	
personalissimae vel		rata	886
hereditariae	750	<i>Ecclesiae</i> symbolum	
<i>Diligentia</i>	129		877
<i>Debita</i> s. legitima	130	<i>Ecclesiastica</i> disciplina	
<i>Disciplina</i> eccl.	861		861
<i>Dispensatio</i> a lege	741	<i>Educare</i> infantem	638
<i>Dispositio</i> in genere	326	<i>Electio</i>	7
in specie	328	<i>Emancipatio</i>	669
<i>Dissensus</i> mutuus	489	<i>Emitio - Venditio</i>	442
<i>Diuortium</i>	647	<i>Ereptio</i> bellica	508
<i>Dolus</i>	115	<i>Error</i>	75
<i>Dolus</i> pro fraude	404	communis s. vulga-	
<i>Domestici</i>	690	ris	313
<i>Dominium</i>	375	<i>Error</i> in promisso	405
vtile vel directum	351	<i>Excludere</i>	250
plenum vel minus		<i>Exercere</i> ius	270
plenum	353	<i>Existimatio</i>	366
minus plenum in sp.		bona vel mala	367
	354	vtraque simplex vel	
eminens	771	intensiua	368
		B b 3	Ex-

I N D E X.

<i>Expromissio</i>	496	<i>Fides coniugalis</i>	646
<i>Expromittens</i>	ib.	<i>sponsalitia</i>	ib.
<i>Exteri</i>	701	<i>Finis</i>	120
		<i>Finis communis</i>	578
		<i>Foedus</i>	927
		aequale vel inaequa-	
		le	927
<i>Factum</i>	105	<i>Forma ciuitatis</i>	785
<i>morale</i>	105	<i>Forma reip. mixta</i>	821
<i>commissuum vel o-</i>			
<i>misiuum</i>	107	<i>Fraus</i>	404
<i>rectum vel minus re-</i>		<i>Fructus</i>	334
<i>ctum</i>	107	naturales , industria-	
<i>ex defectu rectitu-</i>		les vel mixti	355
<i>dinis vincibili vel in-</i>			
<i>vincibili</i>	111		
<i>inculpatum</i>	112		
<i>Facultas animae re-</i>			
<i>praesentatiua vel ap-</i>		<i>Gens</i>	307
<i>petitiua</i>	3		
<i>vtraque inferior vel</i>			
<i>superior</i>	5		
<i>Facultas</i>	155	<i>Haereticus</i>	863
<i>moralis</i>	155	<i>Hereditas</i>	448
<i>Fama</i>	366	<i>Heres</i>	448
<i>Familia</i>	689	<i>Herilis societas</i>	675
<i>Famulus</i>	675	<i>Herus</i>	ib.
<i>Fauor necessitatis</i>	223	<i>Historia I. N. proleg.</i>	
<i>Fauor partium</i>	527		20
<i>Fides seu fides pactitia</i>		<i>Honor</i>	369
	394	<i>Honores conferendi ius</i>	
<i>Fidei bonae vel malae</i>			750
<i>posseffor</i>	539	<i>Hostilitas</i>	504
		<i>Hostis</i>	

I N D E X.

<i>Hostis</i>	504	<i>Imputare</i>	157
<i>Hypotheca</i>	464	moraliter vel non moraliter	137
<b>I</b>		<i>Imputatio</i> plena vel mi- nus plena	139
<i>Iacta res</i>	318	facti vel legis s. iu- ris	139
<i>Ignominia</i>	372	eius requisita 141 sq.	
<i>Ignorantia</i>	75	effectus	151
communis siue vul- garis	313	gradus	153
<i>Immunitatis concessio</i>	741	<i>Imputatio</i> perfecta vel imperfecta	166
<i>Impedimentum</i>	122	<i>Inclinatio</i> animae	10
absolutum, naturale		<i>Indictio</i> belli	936
morale	122	<i>Induciae</i>	946
<i>Imperans</i>	607	<i>Infamia</i>	371
ciuilis	701	<i>Inferior</i>	607
summus	703	<i>Iniuria</i> sensu specialiss.	
<i>Imperfectio</i>	7		379
moralis	365	<i>Iniustitia</i> actionis	243
interna vel externa		personae	243
	365	<i>Iniustus</i>	243
<i>Imperium</i>	606	<i>Instinctus</i> naturales	14
absolutum vel restri- ctum	778	<i>Intentio</i>	120
eminens	771	<i>Interpretatio</i> legis	739
limitatum vel illimi- tatum	612	authentica	ib.
despoticum	612	<i>Interregnum</i>	794
monarchicum	786	<i>Inuiolabilitas</i> legati	914
<i>Impubes</i>	669	<i>Inuite</i>	50
		<i>Iocus</i> pacto repugnat	
			400

I N D E X.

<i>Iudex summus</i>	761	<i>Ius</i> educandi prolem	
<i>Iudex subordinatus</i>	ib.		659
<i>Iura maiestatica</i>	831	<i>Ius</i> fortalitiorum	764
immanentia	vel	<i>Ius</i> gentium	890
transeuntia	732	<i>Ius</i> gentium	710
<i>Iuramentum</i>	466	<i>Ius</i> gentium pacis et	
adfertorium vel pro-		belli	903
missorium	467	<i>Ius</i> gladii	836
validum	470	<i>Ius</i> ignorantiae et er-	
<i>Iurisdictio</i> suprema	761	roris	314
<i>Iurisprudentia</i>	164	<i>Ius</i> summae inspectio-	
<i>Ius</i> subiective sumtum		nis	755
obiective sumtum	157	<i>Ius</i> militiae	763
	164	<i>Ius</i> naturale in sensu	
<i>Ius</i> adfirmatiuum vel		stricto	227
negatiuum	286	est scientia	228
<i>Ius</i> aggratiandi	834	eius principium ad-	
<i>Ius</i> armandiae	764	aequatum	240
<i>Ius</i> circa suum	874	extensio	249
<i>Ius</i> ciuitatis	707	limites	257
externum vel inter-		finis	218
num	708	est vniuersale	259
<i>Ius</i> collegiale ecclesiae		immutable et aeter-	
	872	num	261
<i>Ius</i> consistorii	880	<i>Ius</i> N. mere naturale	
<i>Ius</i> disponendi in gene-		absolutum vel hypo-	
re	326	theticum	264
in specie	328	<i>Ius</i> naturale diuinum	
<i>Ius</i> eminens	771	185	
		naturale humanum	
		201.	
		<i>Ius</i>	

I N D E X.

<i>Ius necis</i>	687	<i>Ius tributorum</i>	752
<i>Ius necis summi impe- rantis</i>	836	<i>Ius vitae et necis</i>	836
<i>Ius personalissimum vel transmissibile</i>	479	<i>Iusiurandum</i> vide iura- mentum	466
<i>Ius politiam ordinandi</i>		<i>Iustus</i>	243
L			
<i>Laedere</i>		<i>Laedere</i>	194
<i>Laesio</i>		<i>Laesio</i>	200
		moralis vel non moralis	
			253
		culposa vel dolosa	253
		commissua vel omissi- ua	254
		<i>Laesio</i> praeterita praesens vel imminens	511
		<i>Laesio</i> ultra dimidium	441
		<i>Laesio</i> in ciuitate subditi vel imperantis	828
		<i>Laudum</i>	566
		<i>Legatus</i>	497
		eius character representatiuus	898
		<i>Legati</i> comitatus	912
		inuiolabilitas	914
		fanctimonia	915
		<i>Legati</i> supellex et vasa	
			928
		aedes	929
		<i>Legem</i> ferre	609
		mutare	ib.
		abrogare	ib.
		ei derogare	ib.
		<i>Leges</i> collidentes	211
		B b 5	<i>Legem</i>

I N D E X.

<i>Legem</i> negligere	212	<i>Libertas</i> naturalis	277
excipere ab ea	213	plena vel minus plena	
<i>Legum</i> collisio	211	<i>Libertus</i>	684
<i>Legis</i> perfectae cum lege		<i>Licentia</i>	278
erga alios imperfecta	216	<i>Limites</i> imperii	778
		naturales vel arbitrarii	
<i>Legis</i> perfectae cum con-		ib.	
feruatione totali	222	<i>Litterae</i> commeatus liberi	
<i>Leges</i> conuentionales	619	930	
<i>Leges</i> eccles. conuentiona-		<i>Lithurgia</i>	877
les vel imperantis	860	<i>Lis</i> iuridica	542
<i>Leges</i> fundamentales	773	<i>Locatio-Conductio</i>	442
expressae vel tacitae	ib.	<i>Lubitus</i>	30
<i>Leges</i> sociales	604	<i>Lytrum</i>	946
<i>Legis</i> interpretatio	739		
authentica	ib.	<b>M</b>	
<i>Legis</i> promulgatio	736		
<i>Lex</i>	94	<i>Machiauelli</i> stae	847
prohibitiva vel prae-		<i>Maiestas</i>	703
ceptiva	97	<i>Maiestas</i> vicaria	796
aiens vel negans	97	<i>Maiores</i>	669
iubens vel vetans	97	<i>Malum</i>	8
<i>Lex</i> perfecta vel imperfe-		<i>Malum</i> absolutum	vel
cta	159	comparativum	9
<i>Lex</i> naturalis vel positi-		<i>Mandans</i>	408
ua	169	<i>Mandatarius</i>	408
<i>Lex</i> naturalis diuina	184	<i>Mandatum</i>	408
naturalis humana	201	<i>Manumissio</i>	684
<i>Lex</i> commissoria	464	<i>Matrimonium</i>	638
<i>Lex</i> consuetudinaria	737	virgineum	638
<i>Lex</i> ciuilis	734	verum vel nullum	640
expressa vel tacita	735	iustum vel iniustum	641
scripta vel non - scripta			
	ib.		
in specie	738	<i>Mediator</i>	566
<i>Lex</i> poenalis vel non poe-		<i>Mendacium</i>	363
nalis	830	<i>Meritum</i> in genere et in	
<i>Libertas</i> mentis	30	specie	138
		<i>Miles</i>	763
		<i>Militia</i>	ib.
		<i>Minis</i>	

I N D E X.

<i>Minister reip.</i>	746	<i>Negotia gentis publica</i>	
<i>Minorennes</i>	669	domestica	908 ib.
<i>Modi adquirendi</i>	388	<i>Negotiorum gestio</i>	401
ius atque obligationem		<i>Neutralis</i>	527
constituendi	473 sq.	<i>Neutralitas</i>	ib.
ius atque obligationem		<i>Nobilitatio</i>	570
tollendi	478	<i>Noluntas</i>	16
<i>Modi pactum tollendi plene</i>	487	<i>Nouatio</i>	494
minus plene	493 sq.	<i>Nuptiae</i>	643
<i>Modi adquirendi principatum originarie et derivatiue</i>	787 sq.		
<i>Monarcha</i>	786		
<i>Monarchia</i>	ib.	<i>Obedientia</i>	611
electitia vel hereditaria	791	<i>Obligatio naturalis vel positiua</i>	169
<i>Monarchia usufructuaria</i>		<i>Obligatio perfecta vel imperfecta</i>	158
vel patrimonialis	801	<i>Obligare</i>	78
<i>Monarchomachi</i>	847	moraliter vel non moraliter	79
<i>Monogamia</i>	644	<i>Obligatio moralis</i>	80 et 81
<i>Moralitas actionis</i>	57	actiua vel passiua	81
<i>Motuum</i>	24	adfirmatiua vel negatiua	87
<i>Munus ciuile</i>	745	<i>Obligatio naturalis vel socialis</i>	596
in sp. publicum	746	<i>Obligatio personalissima vel transmissibilis</i>	479
<i>Mutatio hominis vel actio libera vel mutatio naturaliter necessaria</i>	34	<i>Obsequium</i>	611
		<i>Observantia imperii</i>	773
		<i>Obstegium</i>	464
		<i>Occupatio bellica</i>	508
		<i>Occupatio</i>	299
		<i>Occupabilis res</i>	300
		<i>Occup. interimistica</i>	318
		<i>Ochlocratia</i>	845
		<i>Offendens</i>	521
		<i>Offic.</i>	

I N D E X.

<i>Officium</i>	101	<i>Pactum de Lytro</i>	946
<i>praeceptuum vel prohibituum</i>	101	<i>Pactum poenale</i>	464
<i>adfirmatiuum vel negatiuum</i>	101	<i>Pactum publicum</i>	924
<i>commissiuum vel omis- suum</i>	101	<i>Pactum successorium</i>	451
<i>Officium perfectum vel imperfectum</i>	166	<i>Pactum vniōnis subiec̄tionis</i>	705 ib.
<i>Officium ciuile in sp. publicum</i>	745 746	<i>Pactum subiec̄tionis pu- rum vel conditionatum</i>	729
<i>Officialis reip. subordinatus</i>	746 ib.	<i>Pactum tollitur plene vel minus plene</i>	486
<i>Oligarchia</i>	848	<i>Palinodia</i>	534
		<i>Passiones</i>	1
<b>P</b>		<i>Paterfamilias</i>	692
		<i>Patria potestas</i>	653
		<i>est ius personalissimum</i>	
			671
<i>Pactum seruare s. adimplere</i>	386 393	<i>Patrimonium</i>	360
<i>Pactum verum vel nullum</i>	411	<i>Pax</i>	505
<i>iustum vel iniustum</i>	411	<i>Pecunia</i>	438
<i>Pacta aleam continentia expressa vel tacita</i>	428 429	<i>Peioratio rei</i>	345
<i>conditionata, non - con- ditionata s. spuria</i>	429	<i>Peregrinus</i>	701
<i>benefica vel onerosa, gra- tuita</i>	430	<i>Perfec̄tio</i>	7
<i>vñilateralia vel bilate- ralia</i>	430	<i>vera vel appa- rens</i>	20
<i>Pactum antichreticum</i>	464	<i>Perfec̄tio moralis</i>	365
<i>Pacta bellica</i>	945	<i>interna vel externa</i>	365
<i>vñuersalia vel particu- laria</i>	846	<i>Perfidia</i>	394
<i>Pacta conuenta</i>	799	<i>Periculum</i>	457
<i>Pactum deditioñis</i>	846	<i>Perire</i>	218
		<i>Periurus</i>	460
		<i>Permutatio</i>	412
		<i>Personæ moralis seu my- stica</i>	585
		<i>Pignus</i>	464
		<i>Poena</i>	138
		<i>Poena in sensu spec.</i>	611
		<i>Politia</i>	770

## I N D E X.

<i>Pollicitatio</i>	402	<i>Privilégium personale vel reale</i>	ib.
<i>Polyandria</i>	644	<i>personalissimum vel hereditarium</i>	ib.
<i>Polygamia</i>	644		
<i>Polygynia</i>	644		
<i>Possessor alieni bonaे vel malaе fidei</i>	§ 39	<i>Probare</i>	§ 49
<i>Possessio iuris</i>	271	<i>Probatio facti vel iuris</i>	556
<i>Possidere rem</i>	307	per instrumenta, testes, iuramentum cert.	559
<i>Potestas dominica</i>	682	<i>Promittere</i>	385
<i>Potestas eminens</i>	771	<i>Promittere alterne vel copulate</i>	420
<i>Potestas exsequitoria</i>	610	<i>Promulgatio legis</i>	736
<i>in ciuitate</i>	733	<i>Propositum</i>	125
<i>Potestas legislatoria</i>	608	<i>Proprietarius</i>	250
<i>in ciuitate</i>	733 sq.	<i>Proprietas</i>	250
<i>Potestas iudicaria</i>	761	<i>Proprium</i>	250
<i>Praecedentia</i>	378	est commune vel proprium in specie	252
<i>Praemium</i>	138		
<i>Praepotentia</i>	935	<i>Pupillus</i>	673
<i>tremenda</i>	ib.		
<i>Praescriptio</i>	444		
<i>Praestare</i>	389		
<i>Prauitas actionis moralis</i>	§ 8		
<i>Pratum</i>	435		
<i>vulgare</i>	435	<i>Quasicontractus exiles ex I. N.</i>	401
<i>eminens</i>	438		
<i>Princeps</i>	786		
<i>Principatus</i>	786		
<i>Principale</i>	334		
<i>Principium cognoscendi</i>	230		
<i>verum</i>	231		
<i>evidens</i>	231		
<i>adaequatum</i>	232		
<i>vniuersale</i>	233		
<i>primum</i>	234		
<i>domesticum</i>	235		
<i>Privilégii concessio</i>	741		

I N D E X.

<i>Remedium</i>	121	<i>Salus publica</i>	701
<i>Remissio debiti</i>	440	<i>Salus in ciuitate publica</i>	
<i>Reputum</i>	647	vel priuata	720
<i>Reparatio damni</i>	§ 15	<i>Sanctimonia legati</i>	§ 19
<i>eius species</i>	§ 16	<i>Sanctitas legati</i>	ib.
<i>Repraesentare</i>	aliquem	<i>Satisfactio</i>	§ 16
		<i>Satisfactio publica vel pri-</i>	
	409	<i>uata</i>	835
<i>Repromittere</i>	430	<i>Securitas</i>	457
<i>Res iuridica</i>	288	<i>Securitas reip.</i>	758
<i>nullius</i>	292	<i>externa vel interna</i>	ib.
<i>mobilis, immobilis, se-</i>			
<i>se mouens</i>	304	<i>Seruitus</i>	352
<i>Res conscientiae</i>	855	<i>Seruitus in societate</i>	682
<i>Res fungibilis</i>	345	<i>Seruus</i>	ib.
<i>Res corporalis</i>	288	<i>Seruitus legalis vel spon-</i>	
<i>incorporalis</i>	321	<i>tanea</i>	685
<i>Res merae facultatis</i>	167	<i>Societas</i>	§ 79
<i>Res principalis vel acces-</i>		<i>Societas aequalis vel inac-</i>	
<i>soria</i>	334	<i>qualis</i>	607
<i>Respublica</i>	700	<i>f. aequatoria vel rato-</i>	
<i>Respublica in specie</i>	786	<i>ria</i>	ib.
<i>Respublicae Achaicæ</i>	825	<i>Societas civilis</i>	700
<i>f. associatae</i>	ib.	<i>Societates ciuiles</i>	724
<i>Reip. status ordinarius vel</i>		<i>Societas dominica</i>	682
<i>extraord.</i>	771	<i>Societas ecclesiastica</i>	850
<i>Reipublicae administratio</i>		<i>Societas familiae seu do-</i>	
	730	<i>mestica</i>	689
<i>Retorsionis ius</i>	§ 34	<i>Societas herilis</i>	675
<i>Reticentia</i>	363	<i>perpetua vel tempora-</i>	
<i>Renocare</i>	412	<i>ria</i>	ib.
<i>promissum</i>	412	<i>commoda vel restricta</i>	
<i>Restitutio</i>	§ 16		ib.
<i>Ritus ecclesiastici</i>	853	<i>f. limitata vel illimita-</i>	
		<i>ta</i>	ib.
		<i>f. perfecta vel imperfe-</i>	
		<i>cta</i>	ib.
		<i>obnoxia vel mercenar-</i>	
		<i>ria</i>	ib.
		<i>Societ</i>	
<i>Salus</i>	698		
<i>Salus domestica</i>	691		


I N D E X.

<i>Societas</i> inaequális limitata vel despotica	613	ab intestato 450 et 797
<i>Societas</i> iusta vel iniusta	589	<i>Successio</i> in monarchia simplex vel successiva 801.
<i>Societas</i> libera	307	<i>Successio</i> ex testamento 697
<i>Societas</i> matrimonialis	638	<i>Sufficientia</i> 698
<i>Societas</i> obligatoria vel precatia	597	<i>Suffragium</i> 620
<i>Societas</i> pactitia s. voluntaria vel necessaria	626	adfirmatiuum vel negatiuum 621
<i>Societas</i> paterna	648	categoricum vel hypotheticum ib.
<i>Solutio</i>	487	expressum vel tacitum ib.
<i>Solutio</i> indebiti	401	scriptum vel orale ib.
<i>Sponsalia</i>	642	decisiuum vel consultatorium ib.
<i>Sponsio</i>	925	deliberatiuum ib.
<i>Sponsus</i> , <i>Sponsa</i>	643	<i>Superarbiter</i> 568
<i>Spontaneitas</i>	200	<i>Superior</i> 607
<i>Status</i>	63	<i>Supellex</i> legati 928
<i>hominis moralis</i>	63	<i>Suum</i> 241
<i>antecedenter</i> vel <i>consequenter</i> moralis	64	connatum vel adquisitum s. quae situm 264
<i>bonus</i> vel <i>malus</i>	64	<i>Symbolum Ecclesiae</i> 877
<i>perfectus</i> vel <i>imperfectus</i>	67	
<i>Status</i> homini's ordinarius		<b>T</b>
<i>vel extraordinarius</i> , seu regularis vel irregularis	222	
<i>Status</i> aequalitatis	276	<i>Territorium</i> 727
<i>Status</i> ciuilis subditorum	716	<i>Testamentum</i> 451
<i>Status</i> libertatis naturalis	277	<i>Tituli</i> 377
<i>Subditus</i>	706	<i>Titulus</i> adquirendi putatius 540
<i>Subditus</i> ciuilis	701	<i>Tractatus</i> non sunt paterum 400
<i>Substantia</i>	333	<i>Tradere</i> 389
<i>Successio</i>	448	<i>Tradere</i> rem 415
		<i>ius</i> 415
		<i>Traditio</i> longa manu symbolica 417
		<i>Trans-</i>

I N D E X.

<i>Tranquillitas publica</i>	702	<i>Vituperium</i>	372
<i>Tributum</i>	752	<i>Vniversitas</i>	725
<i>Transactio</i>	572	<i>Voluntas</i>	16
<i>Turbare</i>	194	in genere vel in specie	
<i>Tutela</i>	673	16	
<i>Tutela inculpata</i>	533	<i>Voluntas efficax</i> s. seria	
<i>Tutela occupatitia</i>	673	vel inefficax s. nuda 125	
<i>Tutor</i>	673	<i>efficiens</i> vel <i>inefficiens</i>	
<i>Tyrannis</i>	845		126
<i>Tyrannus</i>	845		
 V		<i>Votum</i>	402
<i>Validus actus</i>	395	<i>Votum pro suffragio</i>	620
<i>Valor</i>	435	<i>Vsucapio</i>	444
<i>Vasa legati</i>	928	<i>Vti re</i>	289
<i>Veritas moralis</i>	465	<i>Vtile</i>	287
<i>Vindicare</i>	538	internum vel externum	
<i>Vindicatio rei vel iuris</i>	538	287	
<i>Violentia</i> s. vis in sensu specialiss.	501	<i>Vtilitas</i> vera vel imagina- ria	332
		<i>Vtilitatum perceptio</i>	328










UB WIEN



+AM363344507





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)